QK431
.M94
1860-61
v.2

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ,

CONTULIT

FERDINANDUS MUELLER,

Ph. et M.D., Gubern. Col. Vict. Phytologus, Horti Bot. Melb. Director, nunc ibidem Soc. Acclimationis et Soc. Horticult. Vice-Præses, Soc. Reg. Lond. nec non Acad. Cæs. Leop. Car. Cur. Nat. membr., Soc. Imper. Acclim. Paris., Soc. Bot. Canad., Soc. Reg. Vict., Soc. Reg. Tasm., Soc. Medicor. Melb., Soc. Pharm. Vict., Soc. Pollich. Palatinat., Soc. Scrut. Nat. Hercyn., Soc. Investig. Nat. Hamburg., Soc. Germ. Melb. nec non Colleg. med. exam. in Univers. Melb. membr. honorar., Colleg. Gubern. Col. Vict. ad Scient. spect. et illius ad promov. Agricult. inst., sicut Soc. Reg. Archæolog. Hafniens., Soc. Linn. Lond., Soc. Reg. Geogr. Lond., Inst. Imper. Austriac. Geol., Soc. Reg. Bot. Ratisb. et ejusdem Edinens., Soc. Reg. Art. et Scient. Mauritian., Soc. Scrut. Nat. Halens., Soc. Zool. et Botan. Vindobon., Soc. Physico-med. Erlang., Soc. Silesian. cult. patr., Soc. Hortic. Petropolit. et Geel. aliarumque unionum scientias colentium sodalis.

"OMNIA AUTEM PROBATE ET QUOD BONUM EST TENETE."

Epist. Paul. ad Thessal. I., Cap. V., 21.

VOL. II. (Nos. 11-16)

Melbourne:

AUCTORITATE GUBERN. COLONIÆ VICTORIÆ. EX OFFICINA JOANNIS FERRES.

1860-1861.

pls. 11, 12, 13, 14, 15.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

XI.

Dilleniaceæ.

Hibbertia spicata.

(Sect. Pleurandra.)

Ramis angulatis glabris scabrisve, foliis coriaceis oblongo- v. angusto-linearibus subsessilibus muticis margine revolutis supra nitentibus subtus tenuissime cinereo-velutinis, *spicis pedunculatis unilateraliter pauciflоris* bracteatis, staminibus 11–13 unilateralibus, antheris oblongo-linearibus, germinibus duobus velutinis.

Ad portum Gregorii. Walcott et Oldfield.

Rami fusci nitentes. Cicatrices prominentes. Folia utplurimum uncialia v. paulo longiora aut breviora, 1–2‴ lata, uninervia, avenia, supra læte virentia et punctis prominulis asperata. Pedunculi puberuli v. glabri ½–1″ longi infra spicam ebracteati. Flores pedicello orbati bi- v. tribracteolati, infimus autem sæpe ebracteatus. Bracteæ una basalis, 1–2 laterales, 1–2‴ longæ, sive lineares crassæ subcanaliculatæ, sive lanceolatæ vel immo ovatæ et tunc teneriores et planæ, ut calyces nunc glabræ nunc pubescentes. Sepala exteriora foliacea lanceolato- v. lato-ovata circiter 2‴ longa, interiora orbiculari-ovata, ad 3‴ longa, margine late membranea. Petala calycem non longe superantia. Filamenta perbrevia. Antheræ fere lineam longæ. Fructus deest.

Species transitum a Pleurandris ad Hemistemmata manifestum reddit. Stamina enim sunt ea genuinæ Pleurandræ; quoad inflorescentiam species Hemistemmati pertinet; stamen insuper unum alterumve castratum v. minutie imperfectum ostendit. Quum autem hancce notam non constantem et staminodium unum alterumve jam in aliis Pleurandris et Hibbertiis observaverim, nunc tutius duxi, omnia Hemistemmata Hibbertiis coadunare. Ad Hibbertiam trachyphyllam pertinet monente clar. Lehmann (pl. Preiss. ii. 236) Pleurandra hypericoides D.C., quæ secundum specimen originale herbarii Preissiani præcipue præsentia stami-

nodiorum plurium a Hibbertia stricta recedit. Nunquam enim in hujus formis innumeris vestigia staminodiorum a staminibus dissitorum inveni. Cum Hibbertia trachyphylla per formas intermedias confluit Hamistemma asperifolium. Antheræ fere omnium Hibbertiarum meo sensu coalitarum nempe etiam omnes Pleurandras, Candolleas, Adrasteam, Hemistephum et Hemistemmata comprehendentium, sunt sua longitudine plus minus angustiores. Sed Hibbertia stellaris, quam ad flumen Murchison alibique in Australia occidentali collectam possideo, gaudet ea insigni nota, quod latitudo antherarum longitudinem paulo excedat. Hibbertiæ spicatæ procul dubio affinis est Hemistephus linearis; ut autem cujus specimina adipiscerer mihi hucusque non contigit.

Capparideæ.

Emblingia.

Flores asymmetrici hermaphroditi. *Calyx monophyllus persistens 5-fidus longitudinaliter antice fissus*, laciniis æstivatione valvatis. *Corolla calceiformis* e petalis duobus connatis constans. *Torus canalicilari-linearis* incurvus calyci et corollæ oppositus, basi in glandulam nectari-feram tumens, *appendicula subrotunda unilateraliter* 4- *v.* 5-*fida terminatus.* Stamina 4, margini anteriori appendicis tori affixa, omnia fertilia libera. *Filamenta brevissima* subulata. Antheræ subovatæ biloculares basifixæ, loculis appositis longitudinaliter introrsum dehiscentibus. Pollen globoso-tetraëdrum. *Germen unigemmulatum* uniloculare in apice tori sessile, appendice ejusdem semiamplexum, antice carinato-bialatum. Stigma inter alas germinis sessile depressum terminale ætate laterale. *Bacca* drupacea exsucca *ex apice tori pendens* ovato-globosa leniter compressa. Pericarpium tenue. Semen ope funiculi prope basin loculi affixum, basi in dentem productum. Umbilicus lateralis. Testa duro-crustacea aspero-rugosa. Albumen parcissimum. Embryon endopleura membranea inclusum conduplicato-involutum. Cotyledones plano-convexæ prælongæ incumbentes. Radicula brevis cylindracea ad basin carpicam spectans.

Frutex Australiæ occidentalis prostratus quasdam Scævolas æmulans, ramulis hispidulis, *foliis oppositis* herbaceis lanceolatis scaberrimis, aculeolis stipularibus minutis v. obliteratis, pedunculis brevibus axillaribus solitariis unifloris, corollis parvis aurantiacis.

Genus certissime Capparideum, etsi nulli ordinis aut habitu aut structura organorum affine, Gynandropsidi propter genitalium positionem paulo accedens, fructu monospermo ad Apophyllum, Bosciam et Atamisqueam approximans, nominavi in honorem clar. Dr. Thomæ Embling, senatus coloniæ Victoriæ membri, qui summo cum ardore introductionem animalium plantarumque utilium in nostram coloniam promovit, alias etiam res salutis publicæ semper hac in civitate alacriter fovit.

Ludwig Becker. del & lith.

Ladd & Carr. Imp.

Emblingia calceoliflora. *F. M.*

Emblingia calceoliflora.

In locis arenosis ad flumen Murchison. Walcott et Oldfield.

Frutex multicaulis pluripedalis. Rami vetusti, cortice fere suberoso transversim rimoso obducti. Ramuli teretes sæpe longe simplices, præsertim abbreviati laterales crasso-cicatrisati. Folia opposita v. subopposita, innovationum subfasciculata angusto- v. ovato-lanceolata acuminata in petiolum hispidulum brevem sensim angustata, utplurimum $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{2}''$ longa, 2–9‴ lata, plana, concoloria, pallide virentia, utrinque setulis minimis scabra, in sicco statu saltem opaca et rugulata, indistincte venosa, secus nervum medium hispidula. Pedunculi ebracteati breves v. brevissimi hispiduli. Calyx circiter 3‴ longus subcampanulatus hians, extus hispidulus, intus inferne glaber et exappendiculatus, dentibus semilanceolatis 1-$1\frac{1}{2}$‴ longis, lateralibus medioque ceteris duobus paulo majoribus, omnibus breviter acuminatis. Corolla hypogyna decidua revera dipetala, sed petalorum cohæsione valvari coalita in petalum unicum quasi unilabiatum, apice fornicato-cavum obtusissimum, extus subsericeum, intus tomentellum et prope basin transverse appendiculatum, basi in partes suas solutum. Petalum utrumque semipollicare v. paulo brevius, angusto-oblongum, circiter 1‴ latum. Torus circiter 4‴ longus, fere 1‴ latus, incurvo-arcuatus, prope axin crassiusculus, secus marginem fere membraneus, integerrimus, ciliolatus, dorso sericeo-hispidulus, intus glaber, latus floris, quod corollæ et calyci oppositum est, occupans, basi glandula minuta subrotunda nigrescente glabra præditus. Appendicula tori 1‴ vel paulo ultra metiens, undique dense sericea, antice suis dentibus oblongo-semilanceolatis pæne opposite filamenta inter indumentum fere occulta apice glabra gerens. Antheræ $\frac{2}{3}$‴ longæ, basi et apice albo-barbellatæ, primo oblongæ, demum subdidymo-ovatæ, circiter $\frac{1}{2}$‴ longæ. Germen fere obcordatum, glabrum, 1‴ longum, præter margines anticos compressos utrinque alam oblique dimidiato-rotundam formantes turgidum. Stigma papillosum, ore concavum. Fructus pendulus calyce receptus et ejusdem basin attingens, stigma laterale alis vix mutatis comitatum gerens, 3–4‴ longus, pallidus, glaber, leviter compressus, oblique reniformi- v. rotundo-ovatus. Pericarpium semini adnatum. Testa sordide fusca. Endopleura fulvida v. livida. Albumen circum embryonis apicem et circum radiculam lamina tenuissima situm. Endopleura cum incluso embryone nucleum separabilem ovato-reniformem basi attenuatum præbens. Embryon bis plicatum; pars cotyledonaris compresso-teres, diametro circiter $\frac{1}{3}$‴ metiens. Radicula in dentem testæ putaminaceæ penetrans, centrifuga, cotyledonibus aliquoties brevior.

Explicatio analyseos tabulæ undecimæ.—1, flos completus; 2, flos post lapsum corollæ; 3, corolla antice visa; 4, torus antice inspectus, glandulam basalem sicut appendiculam terminalem ostendens, germine orbatus; 5, idem postice visus; 6, ejusdem pars supera germine staminibusque prædita;

7, stamen antice et postice visum; 8, pollinis granula madefacta; 9, germen cum stigmate; 10, fructus e toro pendens, calyce amplexus; 11, idem, represso calyce, omnino in conspectum veniens; 12, idem longitudinaliter fissus; 13, semen cum funiculo lacero; 14, idem dorsum exhibens; 15, idem antice visum; 16, idem latere visum; 17, idem longitudinaliter sectum; 18, embryon; 19, ejusdem sectio transversa; 20, idem cotyledonibus expansis.—Omnes figuræ præter terdecimam vario gradu auctæ.

Buettneriaceæ.

Sarotes semihastata.

Foliis petiolatis linearibus v. oblongo-linearibus margine revolutis supra glabrescentibus subtus velutinis, *stipulis dimidiato-hastatis* foliaceis folio bis pluriesve brevioribus, *pedunculis* 1–2-*floris* folia subæquantibus, *bracteolis* 3 *hypocalycinis subcordatis* acuminatis, calycis lobis intus glabris, filamentis petala unguiculata superantibus, antheris apice attenuatis, *stylo glabro, capsulæ coccis* 3–4-*spermis* extus tomentosis et glanduloso-pilosis.

Ad sinum Champion Bay et montem White Peak. A. Oldfield.

Frutex debilis, aliis plantis accumbens. Rami graciles, teretes, velutino-tomentelli, glabrescentes. Folia alterna, petiolo 1–2‴ longo prædita, $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{2}$″ longa, propter margines recurvos v. revolutos tantum 1–2‴ lata. Stipulæ 3–6‴ longæ, indumento et consistentia foliorum, margine etiam revolutæ. Pedunculi oppositifolii, pedicellis conspicue tenuiores, teretes, velutini, $\frac{2}{3}$–2″ longi. Pedicelli crassi, superne sensim crassiores, calycis longitudinem fere semiæquantes, basi bracteolam solitariam lanceolato- v. cordato-ovatam v. lineari-lanceolatam 1–2‴ longam gerentes, si duo remotiusculi, unilateraliter patentes. Bracteolæ hypocalycinæ liberæ, 3 raro 4, persistentes, 1–2‴ longæ, utrinque tomentellæ, margine recurvæ. Calyx cœrulescens, sub anthesi semunciam longus, extus stellari-puberulus, demum præter basin glaber; fructifer scariosus, auctus, ultra medium plicato-quinquelobus, lobis subcordato- v. rhombeo-ovatis quinquenerviis cum cetera parte reticulato-venosis eum Nicandræ in memoriam vocans. Petala obovato- v. obcordato-spathulata, glabra, linea paulo breviora, venosa. Filamenta glabra, filiformia, libera, demum fere $1\frac{1}{2}$‴ longa. Antheræ atro-purpureæ, sesquilineam metientes, oblongo-lineares, sursum attenuatæ, apice rimis duabus brevibus apertæ. Stylus simplex, capillaris, $1\frac{1}{2}$‴ longus, non contortus. Stigma minutum, stylo paulo crassius. Germen globosum, velutinum, papillis seu glandulis atro-purpureis onustum. Carpidia 5, axi longitudinaliter saltem juniore statu connata, cetera libera, fere matura $2\frac{1}{2}$‴ longa, intus glabra, dorso bivalvato-dehiscentia. Semina ovata, glabra, angulo centrali affixa. Strophiola albida, in lacinias paucas fere subulatas semini paulo breviores dissecta.

Species insignis, foliis ad Thomasias appropinquans. Transitus a Lasiopetaleis veris ad Seringeas ope Sarotidis luculentus redditur.

Lasiopetalum oppositifolium.

Foliis oppositis tenui coriaceis oblongo- v. lato-linearibus basi subcordatis margine revolutis supra glabris subtus tenuissime albido-velutinis, cymis axillaribus v. lateralibus confertifloris glanduloso-hirsutis, bracteis lineari-subulatis longiusculis, *bracteolæ hypocalycinæ segmentis linearibus calycem parvum superantibus,* calycis laciniis semilanceolatis intus subglabris, antheris fere ovatis poro duplice dehiscentibus, germine tomentoso.

In locis rupestribus ad flumen Murchison. A. Oldfield.

Frutex diffusus, paucipedalis. Rami teretiusculi, tenuissime velutini alterni. Folia 2–6″ longa, 3–9‴ lata, supra satis lævia. Petioli 1–2½‴ longi, oblique oppositi, raro casu alternantes et tunc pedunculo oppositi. Pedunculi generales ½–1″ longi, saltem superne ut pedunculi speciales bracteæ et bracteolæ pilis copiosis patentibus glandulosis vestiti. Cyma pluri- v. multiflora, sed raro ultra pollicem lata. Pedunculi speciales, breves sæpe incurvi, bracteas lineari-subulatas paucilineares gerentes. Bracteola hypocalycina uni-lateralis, trisecta, segmentis linearibus acutis, medio circiter 3‴ longo, lateralibus paulo brevioribus, extus papilloso-hispidulis, intus subvelutinis. Calycis laciniæ sensim acutatæ, fere 1½‴ longæ, extus velutinellæ, intus glabræ. Petala glabra, minuta, subrotunda, brevissime unguiculata. Filamenta perbrevia. Antheræ vix ⅔‴ longæ, subovatæ, basi emarginatæ. Stylus capillaris, glaber, 1‴ longus. Stigma minimum. Capsula sesqui-linearis, triloculata, subglobosa, extus sericea, intus glabra, abortu interdum monosperma. Semina fusca, ovata, glabra, in loculis normaliter gemina, adscendentia. Strophiola fere membranea, in lacinias paucas angustas acutas divisa, pæne semen æquans.

Adnotandum restat, limites quibus Seringeam et Keraudreniam discriminare solebamus, omnino incertos esse. Sic K. microphylla (late per Australiam occidentalem diffusa) et K. Hookeri iis guadent bracteolis caducis petaloideis, quas Seringa grandiflora et S. nephrosperma ostendunt. Styli etiam numero variant, et in utroque genere primo contorti mox inferne soluti occurrunt. Staminodia Keraudreniarum frequentius adsunt, quam deficiunt, ut jam optime asseruit Steetz. Carpidia omnino in modum eorum Seringiæ platyphyllæ disjuncta observavi in K. Hookeriana et S. nephrosperma, dum ultima species a Keraudreniis typicis neutiquam generice separanda est. Numerus seminum adeo variat, ut in carpidio K. nephrospermæ sæpius unum, in K. Hookeri 7–10 numerarem. Melius igitur duxi species sequente modo ordinare:—

1. Seringia platyphylla, Gay; 2. S. corollata, Steetz; 4. S. hermannifolia (Keraudrenia hermannifolia, Gay); 5. S. microphylla (K. microphylla, Steetz); 6. S. integrifolia (K. integrifolia, Steudel); 7. S. velutina (K. velutina, Steetz); 8. S. Hookeri (K. Hookeri, Walpers); 9. S. grandiflora, F. M.; 10. S. nephrosperma, F. M.

Lasiopetalum Oldfieldii.

Foliis ovatis v. oblongo-ovatis basi subcordatis margine integris et recurvis supra glabratis subtus dense velutinis, cymis confertifloris, bracteolæ hypocalycinæ segmentis linearibus, calycinæ segmentis linearibus calycem subæquantibus, calycis laciniis semilanceolatis extus albido-tomentosis intus puberulis, *petalis extus velutinis*, antheris sursum attenuatis poro duplice dehiscentibus, germine tomentoso.

In planitiebus arenosis ad flumen Murchison. Walcott et Oldfield.

Frutex 1–2′. Folia coriacea, 1–2″ longa, $\frac{1}{2}$–1″ lata, sensim in apicem obtusum angustata. Petioli 3–6‴ longi, ferrugineo-tomentosi. Pedunculi circiter 1″ longi. Pedicelli sesquilineam raro excedentes, sæpe breviores. Bracteola basalis sæpe 1‴ metiens. Calyx vix 3‴ longus. Petala obcordato-reniformia, intus glabra, $\frac{1}{3}$‴ longa, inflexa. Filamenta ultra antheræ basin paulo producta. Antheræ 1‴ longæ. Stylus lineam paulo excedens, capillaris, glaberrimus. Germen triloculatum. Fructus deest.

Species L. induto et L. quinquenervio, paulo etiam L. Wilhelmii propinqua, jam petalis extus indutis ab omnibus me examinatis facillime dignoscenda. Num stirps a L. capitellato specifice sit diversa, diagnosis brevissima Turczaninovio tradita haud docet.

Corethrostylis oppositifolia.

Foliis suboppositis membranaceis cordato- v. lato-ovatis acuminatis planis repandis supra pube stellari asperis subtus hirsutie stellata pubescentibus, cyma racemoso-paniculata folium bis terve superante, pedunculis pedicellisque pube articulata et glandulosa patente vestitis gracillimis, *pedicellis* prope medium bracteola lineari-setacea præditis *demum calyce longioribus*, calycis parvi ebracteolati laciniis lanceolato-linearibus sensim acutatis extus hirsutie stellari tomentosis, stylo præter apicem basimque dense reverso-tomentoso, germine tenui-velutino eglanduloso.

In Nova Hollandia austro-occidentali. Maxw.

Ramuli tenues, ferrugineo-tomentosi. Folia in unico specimine transmisso 1–1$\frac{1}{2}$″ longa, $\frac{3}{4}$–1″ lata, obtuse acuminata. Petioli ferrugineo-tomentosi, 2–3‴ longi. Pedunculi 1–1$\frac{1}{2}$″ longi. Cyma multiflora, in racemos plures divisa. Pedicelli 3–5‴ longi. Bracteolæ lineam circiter metientes, hypocalycinæ nullæ. Calyx profunde partitus, laciniis circiter 2‴ longis e basi sensim angustatis intus glabris et macula nigra ad basim notatis. Antheræ nigræ subovatæ, $\frac{1}{2}$‴ longæ, obtusæ, poris apertæ. Filamenta brevissima. Stylus 1‴ vix excedens, tomento e pilis fasciculatis fulvidis constante obtectus. Capsula trivalvis v. casu bivalvis, intus glabra, 1$\frac{1}{2}$–2‴ longa subglobosa, rarius ovata, extus puberula. Semina ellipsoidea, nigra,

puberula, vix 1‴ longa, basi strophiolam fulvam laciniatam gerentia.

A Corethrostylide parviflora secundum definitionem Turczanivii discrepat foliis nec alternis nec inciso-lobatis, inflorescentia foliis conspicue longiore, calycibus neque tomento albo vestitis, neque brevissime pedicellatis. Genus Asterochiton Corethrostylidi subordino.

Thomasia pogonanthera.

Sarotes pogonanthera, F. M. coll.

Cinereo-tomentosa, foliis parvis herbaceis angusto- v. linearioblongis perbreviter petiolatis margine revolutis, stipulis oblique ovato-cordatis, racemis paucifloris, pedicellis flore vix brevioribus, bracteis parvis ovato- v. lineari-lanceolatis, *bracteolis a calyce remotiusculis* linearibus basi angustatis, calyce nervoso intus glabriusculo, petalis obcordatis unguiculatis glabris, *antheris apice barbatis poro duplice apertis* filamento duplo longioribus, *staminodiis subulato- v. ovato-lanceolatis, stylo præter basin velutino,* capsulis sessilibus 5-loculatis 5-angulatis glanduloso-puberulis, loculis monospermis, strophiolæ segmentis duobus præangustis semini æquilongis.

Ad montem White Peak prope Champion Bay. A. Oldfield.

Frutex 2–3″ patentim ramosus, stellari-tomentosus. Folia ½–1″ longa, 1–2‴ lata, utrinque velutino-tomentoso, subtus pallidiora. Stipulæ sessiles v. brevissime petiolulatæ, 1–3‴ longæ, margine revolutæ. Pedunculi folia raro superantes. Bracteolæ 3 lanceolato- v. spathulato-filiformes, 1‴ paulo longiores. Calyx 3–4‴ longus, undulato-quinqueangulatus, semiquinquefidus, extus stellari-pubescens, lobis deltoideis breviter acuminatis. Petala vix ½‴ longa. Antheræ nigritæ, hastato-oblongæ, ½‴ metientes. Staminodia filamentis æquilonga, aut glabra aut apice barbellata. Stylus 1½‴ longus, prope basin glaber. Capsula 1½‴ metiens, intus glabra. Semina ellipsoideo-ovato. Strophiolæ segmentum tertium, si adest, abbreviatum.

Thomasiæ Steetzianæ (Turcz. Bullet. Mosc. 1852, Ditomostrophæ angustifoliæ Turcz., Steetz in Lehm. pl. Preiss. ii., 363) finitima, quæ præcipue differt bracteolis calyci accumbentibus, petalis mucronulatis et stylo ad basin tantum induto.

Species memorabilis limites inter Thomasiæ Leucothomni et Sarotidis genera diruens, stylo antherisque Sarotidi, staminodiis Leucothamno conveniens.

Thomasia tenuivestita.

Undique *tenui-velutina,* petiolis gracilibus stipulas oblique cordato-ovatas superantibus, foliis fere planis ovatis integris herbaceis supra non rugosis, racemis pauci- v. plurifloris corymbosis, pedi-

cellis flore bis terve brevioribus, bracteolæ segmentis oblongo-linearibus, calyce utrinque velutino, petalis nullis v. incompletis, antheris acutatis filamento aliquoties longioribus, staminodiis nullis, stylo glabro, germine triloculari velutino.

Ad flumen Murchison. Walcott et Oldfield.

Frutex habitu congeneribus dissimilis, quasdam Pomaderrides æmulatur. Ramuli teretes. Stipulæ plerumque 3–4‴ longæ. Petioli semunciales v. breviores. Folia tenuioris consistentiæ, $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{2}$″ longa, supra non impresso-nervosa, subtus pallidiora stellari-tomentella nervosa et venosa. Pedunculi $\frac{3}{4}$–2″ longi, filiformes. Bracteæ rhacheos solitariæ, 1–2 longæ, subovatæ. Segmenta bracteolæ hypocalycinæ oblongo- v. lanceolato-ovata, circiter 2‴ longa. Calyx circiter 3‴ longus, nervis 5 intus acute prominentibus. Petala nulla, vel unum alterumve nunc subulatum nunc dilatatum. Antheræ atropurpureæ, 1‴ longæ, ut videtur tarde dehiscentes. Stylus setaceus, linea paulo longior. Germen sessile. Fructus deest. In systema prope T. grandifloram introducenda.

Thomasia rhynchocarpa.

Turcz. Bullet. Mosc. 1852.

Stellari-hispidula, stipulis dimidiato-subcordatis petiolos fere æquantibus, foliis herbaceis e basi cordata v. rotundata angusto-lanceolatis concoloribus repando-denticulatis supra non rugatis, pedunculis 1–3-floris, pedicellis flore aliquoties brevioribus, bracteolæ segmentis lanceolatis extus ferrugineo tomentosis, calyce utrinque velutino extusque hispidulo, *petalis profunde bilobis extus hispidulis*, staminodiis nullis, filamentis anthera paulo longioribus, *stylo præter apicem velutino*, germine sessili triloculato tenuissime velutino, *loculis 6–7 gemmulatis.*

In vallibus dumosis ad flumen Salt River et locum Kojonurup. Maxw.

Ramuli simul cum petiolis pedunculis bracteis bracteolisque hirsutie fusca obtecti. Pili foliorum et stipularum plerique pallidiores. Stipulæ longitudine 4–10‴ variantes, breviter v. brevissime petiolulatæ. Folia $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}$″ longa, 3–6‴ lata, fere plana, venulis pellucentibus minutim reticulata, utrinque pilis stellatis haud dense conspersa. Pedunculi $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{2}$″ longi. Pedicelli $1\frac{1}{2}$–2‴ metientes. Bractea ad basin pedicelli infimi sæpe deest, in ceteris circiter 2‴ longa ovata, solitaria v. in supremo pedicello sæpius linearis et tunc gemina. Segmenta bracteæ hypocalycineæ 2–$2\frac{1}{2}$‴ longa, intus pallidius velutina. Calyx medio tenus quinquefidus, laciniis deltoideis, florifer 4‴ fructifer 6‴ longus, primo paulo purpurascens, extus præter indumentum velutinum stellis pilorum ferrugineis vestitus, costis 5 intus valde prominentibus. Petala rosea, circiter $\frac{1}{2}$‴ longa. Discus hypogynus brevissimus, carnulentus, repandus. Antheræ saltem 1‴ longæ, longitudinaliter sed vix ad

basin dehiscentes. Stylus 1‴ longus. Germen subpurpureovelutinum, intus glabrum. Gemmulæ infra medium loculi geminatim biseriatæ. Fructum non vidi.

Habitu æmula T. paniculatæ, cujus flores nonnunquam staminodium unum alterumve subulatum producere solent.

In exemplaribus Thomasiæ grandifloræ ad flumen Murchison collectis observavi petala semi-lineam metientia rosea fere deltoidea et sæpe staminodia minuta, præterea germen sæpe eglandulosum usque ad 40 gemmulas continens.

Hannafordia.

Calyx quinquefidus, bracteola trisecta suffultus, laciniis longe acuminatis æstivatione valvatis. Petala quinque sessilia, calyce ter breviora, ejusdem laciniis alterna, membranea, inferne subovata, superne sensim in acumen acutum producta, libera. *Stamina viginti, basi connata; quindecim sterilia lineari-subulata* antheram calycis laciniis opposita; quinque fertilia petalis opposita. Antheræ extrorsæ oblongæ biloculares dorsifixæ erectæ, loculis parallelis longitudinaliter dehiscentibus. Germen sessile quadriloculatum. Gemmulæ in loculis quatuor, ex angulo centrali biseratim adscendentes, anatropæ. Styli in unum setaceum coaliti. Stigma minute quadridentatum. *Capsula subglobosa lignoso-ossea loculicide quadrivalvis, extus breviter stellari-tomentosa.* Semina adscendentia ovata laciniato-strophiolata. Umbilicus basilaris. Chalaza terminalis. Raphe conspicua. *Testa membranea. Mesospermium duro-crustaceum.* Endopleura membranea. Embryon in axi albuminis carnosi indurantis orthotropum, eidem æquilongum. Cotyledones planæ, albumini æquilatæ, radiculam cylindricam inferam longitudine subæquantes.

Frutex Australiæ occidentalis tomento stellari vestitus, foliis alternis herbaceis exstipulatis oblique ovato-cordatis irregulariter repando- v. lobato-dentatis, cymis oppositifoliis paucifloris, bracteolis hypocalycinis persistentibus.

Genus Commersoniæ finitimum, differt bracteola hypocalycina, forma antherarum et staminodiorum, stylo simplice, capsula dura quadrivalvi breviter vestita, strophiola multipartita et forsan defectu stipularum et integumentis seminum.

Stirpem appellavi in honorem Sam. Hannaford, floræ et faunæ indigenæ assidui et periti indagatoris.

Hannafordia quadrivalvis.

In pratis sterilioribus ad flumen Murchison. J. Walcott et A. Oldfield.

Frutex 3–4′, valde ramosus. Ramuli teretes, patentes, alutaceo-velutini. Folia petiolo $\frac{1}{3}$–1″ longo prædita, 1–2″ longa, supra hirsutie perbrevi stellari tomentella, subtus pallidiora velutina et

simul stellari-pilosa. Pedunculi $\frac{1}{2}$–1‴ longi, cymam nutantem v. cernuam tenentes. Pedicelli basi articulati, conferti, floriferi brevissimi v. ad lineas duas longi, ad basin bracteam linearem vix 1‴ excedentem producentes. Bracteola vage trisecta, a calyce (saltem fructifero) paululum remota, segmentis canaliculari-linearibus fere $1\frac{1}{2}$‴ longis. Calyx circiter semipollicaris, extus hirsutie subferruginea stellari tomentosus, intus glabriusculus, mediotenus quinquefidus; tubus sub-campanulatus, nervis viginti striatus; laciniæ lanceolato-lineares subulato-acutatæ prominenter trinerves, sinu lato disjunctæ. Petala sinus calycis breviter superantia, $2\frac{1}{2}$‴ circiter longa, venosa, glabra, inferne crassiuscule 7-nervia. Filamenta brevia, glabra. Antheræ $\frac{2}{3}$‴ longæ. Staminodia glabra, circiter $1\frac{1}{2}$‴ longa; decem staminibus juxta-posita ceteris quinque paulo breviores. Styli superne contorti, non ac in Commersoniis separabiles, glabri, lineam paulo excedentes. Germen albo-velutinum. Capsula calyce immutato retenta, ovato-globosa, lenissime tetragona, 5–6‴ longa, intus glabra rugosa et flavido-nitens, extus pilis stellaribus prurientibus rigidulis ferrugineis facile defriabilibus vestita; valvæ 2 diutius cohærentes. Semina prope basin et medium loculi geminatim collateralia; 1–2 superiora nonnunquam deficientia, 2‴ longa, ovato-ellipsoidea, tenuissime puberula. Strophiola livida, profunde in lacinias 8–9 inæquales curvato-filiformes v. subulatas fissa, lineam raro excedens. Integumentum seminis exterius sordide fuscum, si madefactum, facile separabile; integumentum medium atrum punctulatum opacum; integumentum intimum albidum.

In collectione Oldfieldii botanica ad flumen Murchison congesta Achilleopsidem densifloram reperi, quam stirpem, Drummondio etiam in Hook. Kew. Misc. 1853, p. 144, adumbratam, generice a Rulingiis separare oportet ob stamina libera, carpidia monosperma subchartacea non nisi ima basi coalita et nervo dorsali cristato excepto pæne lævia, et propter semina strophiolo prorsus orbata. Utriusque generis embryon observavi conforme. Præterea herbarium Oldfieldii dat Commersoniam Gaudichaudii, et eam pluribus varietatibus ludentem. Folia enim vidi plerumque minus obliqua, quam quæ ico pulchra Gayiana exhibet, porre plus minusve æquilatera subovata vel in cordatam orbiculatam et renatam formam vergentia, non minus magnitudine variabilia. Dimensiones florum eodem modo vacillant. Petala albida v. rosea raro cœrulescentia adnotat inventor. Appendix petalorum sæpe ovata v. orbiculata invenitur, et laciniæ laterales filamentorum fertilium angusto-spathulatæ reperiuntur. Commersoniam echinatam, jam observante illustri Josepho Hooker, in Australia tropica obviam, ipse reperi in silvis montanis juxta rivum Pine River, qui sinui Moreton Bay adfluit. Nota de præsentia et defectu petalorum in dignoscendis Lasiopetalearum speciebus caute adhibeatur. Nam specimina Thomasiæ macrocalycis ad sinum South West Bay collecta osten-

dunt flores petaliferos apetalos et semicorollatos. Occurrit imo petalum passim deforme et longissime unguiculatum. Tunc specimen Thomasiæ solanaceæ in litore portus Princess Royal Harbour enatum petalis omnino deprivatum est, dum contra in exemplaribus Thomasiæ angustifoliæ ad Kojonurup et Fitzgerald Range collectis flores corollatos vidi.

Macarthuriam ab hoc ordine excludo, et ad Portulaceas Molluginеas traho. Inveni enim in seminibus Macarthuriæ Australis ad flumen Murchison Oldfieldio collectis albumen satis copiosum amylaceum embryone cylindraceo peripherico fere omnino cinctum. Cotyledones plano-convexæ radicula paulo breviores sunt. Æstivatio florum ab ea Molluginearum non differt, neque eorum structura multo discedit. Genus, cujus affinitatem jam clarissimus Harvey bene perspexit, a Caryophylleis ad Phytolacceas transitum clare demonstrat.

Malvaceæ.

Sida cryptopetala.

(Sect. Abutilon.)

Fruticosa, velutino-pubescens et simul villosula, foliis longe petiolatis, inferioribus orbiculari-cordatis, superioribus ovato-cordatis sensim acutatis duplicato crenato-dentatis, stipulis subulato-linearibus, pedunculis axillaribus solitariis unifloris calyce aliquoties longioribus apicem versus articulatis, calycis ad trientem quinquefidi dentibus deltoideis brevi-acuminatis conniventibus, *corolla minuta calyce occulta*, carpidiis subdenis calyci subæquilongis diu connatis acutis muticis v. breviter cuspidatis inferne latioribus, seminibus fuscis glabris.

In locis rupestribus Novæ Hollandiæ occidentalis; e.g. ad Toodyay; J. Drummond. Prope White Peak; A. Oldfield et J. Walcott.

Frutex diffusus v. prostratus 2–3′. Stipulæ bi- v. plurilineares. Petioli foliis sæpe æquilongi. Folia villis, quibus aliæ stirpis partes gaudent, carentia, 1–2″ longa, subtus paulo pallidiora. Calyx circiter semuncialis, in alabastro ovatus acuminatus, basi valde obtusus fere planus. Corolla pallide luteola subtus glabra, basin versus supra pubescens; petalorum pars libera obcordata $1\frac{1}{2}$‴ longa; pars infra staminum insertionem connata fere lineam metiens. Carpidia circiter 3‴ longa, secus marginem verticis ciliato-pubescentia, lateraliter arcte cohærentia, capsulam loculicidam fingentia, sera ætate tantum separabilia, circa columellam sesquilinearem inserta. Semina vix 1‴ longa verruculosa oblique renata.

Species S. diplotricham (a lacu Torrens usque ad flumina Darling et Suttor extendentem) imitans, differt præcipue foliis minus obtusis, calycibus brevius fissis, minutie corollæ, carpidiis neque facile secedentibus nec vertice indutis nec sursum latioribus, porre seminibus glabris.

Sida oxycarpa.

(Sect. Abutilon.)

Herbacea, diffusa, tenui-velutina et simul villosa, *foliis* longe petiolatis *e basi cordata ovato-lanceolatis acutatis* serrato-crenulatis raro lobulatis, stipulis lineari-subulatis caducis, pedunculis axillaribus solitariis unifloris tenuibus calyce bis pluriesve longioribus apicem versus articulatis, calycis hemisphærici quinquefidi laciniis deltoideo-lanceolatis subacuminatis, *carpidiis* 6–9 *velutinis rostratis* dispermis alte connatis calycem conspicue superantibus, seminibus nigrescentibus glabris verruculosis.

In pratis ad flumina Fitzroy, Mackenzie, Suttor, Dawson, Burnett et Darling River.

Herba perennis cubitalis v. humilior. Rami patentes teretes. Folia 1–2½″ longa. Stipulæ lineam vix superantes. Pedunculi ¾–½″ longi. Calyces 2–3‴ longitudine. Petala lutea. Carpidia circiter 4‴ longa, in rostrum vix 1‴ longum attenuata. Semina pæne 1‴ longa.

Sida leucopetala.

(Sect. Abutilon.)

Fructicosa, velutina, ramis simul villosis, *foliis cordatis* breviter acuminatis irregulariter dentatis longe petiolatis, stipulis subulato-linearibus, pedunculis axillaribus solitariis unifloris apice articulatis, *petalis magnis albis calycem campanulatum breviter quinquefidum bis terve superantibus* inferne pubescentibus, filamentis medio tenus in columnam pubescentem connatis, capsula calyce superata 9–10-cocca tomentoso-pubescente, coccis connatis acuminatis 1–3-spermis, seminibus fuscis puberulis.

In pratis ripariis ad originem fluvii Victoriæ et rivi Hooker's Creek rara.

Frutex paucipedalis. Folia utplurimum 1–2″ longa fere concoloria præter indumentum velutinum pubescentia. Stipulæ caducæ 4–6‴ longæ. Pedunculi semi- ad sesqui-unciales velutini atque villosi. Calyx vix ad trientem fissus, extus velutinus, intus subsericeus. Corolla pollicem paulo excedens, superne glabra. Stamina corollam subæquantia penicillum mentientia, superne glabra. Carpidia in capsulam loculicidam coalita vix ætate separabilia 4–5‴ longa. Semina vix 1‴ metientia.

Sida tubulosa, quæ a lacu Torrens usque ad flumen Darling et Burdekin extendit et cujus specimen Mitchellianum authenticum comparavi, distinguitur foliis magis ovatis discoloribus, calyce decemcostato, petalis glabris luteis, filamentis altius connatis seminibusque glabris.

Præter Sidam pulchellam hæc nova species est unica inter numerosas Novo-Hollandicas petalis albis ornata. Species non dissimilis est S. populneæ et S. Lyallii in Nova Zeleandia vigentibus.

Hibiscus pentaphyllus.

Caule erecto herbaceo tereti lævi inferne hispido superne subglabro, *foliis* omnibus petiolo teretiusculo subæquilongis *5-raro-7-sectis, segmentis subsessilibus lanceolatis serratis* supra glabris subtus parce hispidis eglandulosis, stipulis longiusculis linearisubulatis patentibus hispidis diu persistentibus, pedunculis axillaribus solitariis tenuibus petiolo longioribus unifloris parce hispidis valde patentibus sub apice articulatis, *involucro* 8–9*-secto patentissimo, segmentis integris compresso-subulatis* patentim hispidis calycem paulo superantibus, calycis 5-partiti laciniis ovato-lanceolatis acuminatis ciliatis 5-nervis immarginatis, petalis calyce duplo longioribus fere æquilateris extus hispidulis ima basi ciliatis, columna inferne glanduloso-puberula, filamentorum parte libera sæpissime geminata antheram longitudine pluries excedente, stylis supra stigmatosis, capsula subglobosa breve acuminata hispida calyce breviore, seminibus in loculo 3–6 parce minutimque strigulosis.

Ad margines rivulorum fluviorumque non rara in Arnhem's Land.

Herba annua paucipedalis simplex vel ramoso, erecta vel diffusa. Folia pleraque 2–3‴ longa. Involucri segmenta subuncialia. Petala oblique ovato-cuneata lutea uncialia et longiora, non in angulum exteriorum acute protracta, fundo macula rufa signata. Columna basi albida, inde cum filamentis rosea. Pollen aurantiacum. Styli cum stigmatibus atropurpurei. Semina nigra $1\frac{1}{2}$–2‴ longa.

Ab Hibisco radiato ad flumen Victoriæ collecto distinguo speciem caule superne lævi, segmentis foliorum omnino disjunctis, pedunculis longioribus infra apicem articulatis, calycis laciniis nec trinerviis nec nervo marginatis, capsulis et seminibus non glabris.

Hibiscus Sturtii.

Hook. in Mitch. Trop. Austr. 363.

Suffruticosus, erectus vel diffusus, subtomentosus, foliis cordato-orbiculatis vel ovatis vel oblongo-ovatis crenulatis, stipulis linearisubulatis petiolo pluries vel multoties brevioribus caducis, pedunculis axillaribus solitariis involucro parum vel duplo longioribus prope apicem articulatis, *involucro companulato-obconico vel turbinato inæqualiter* 7–8*-dentato calyce paulo breviore, calycis dentibus tubo duplo brevioribus* deltoideo-lanceolatis, petalis roseis extus apice tomentellis basi imberbibus concoloribus calycem semisuperantibus, columna glabra, filamentis fasciculatis anthera pluries longioribus, capsula calyce superata subglobosa sericea, loculis oligospermis.

Ad flumina Mackenzie, Burdekin, Suttor, Dawson, Belyando et Darling River, in pratis ad Peak Downs, prope Tenterfield, alibique in Australia orientali calidiore interiore.

Radix in ramos crassos flexuosos divisa. Caules $\frac{1}{2}$–2′ alti simplices. Folia plurima 1–1$\frac{1}{2}$″ longa, petiolo pæne æquilongo semitereti prædita, supra subtilius induta, subtus pallidiora. Stipulæ circiter 1‴ longæ. Involucri dentes sæpe inæquales. Calyx 4–5‴ longus, inferne glabriusculus, superne ferrugineo-tomentosus, dentibus acutis vel obtusis sæpe inæqualibus, demum reflexis. Corolla uncialis vel brevior, albida v. rosea. Capsula fere semuncialis. Semina glabra v. pubescentia.

Euphorbiaceæ.

Pseudanthus nematophorus.

Foliis oppositis lineari-lanceolatis acutis aliquot subovatis, stipulis lineari-subulatis glabris, floribus sessilibus, masculis confertis, *sepalis 5 minutis ovatis, staminodio solitario elongato capillari* locum sepali sexti occupante, antheris subsessilibus plurimis, sepalis floris fœmini sex lanceolatis.

In locis arenosis et rupestribus ad flumen Murchison. Oldfield.

Fruticulus ramosissimus fere sesquipedalis. Ramuli glabri. Folia breviter petiolata semuncialia v. breviora, linea paulo latiora v. angustiora, bractealia abbreviata, omnia ad marginem costamque scabriuscula. Sepala florum masculorum $\frac{1}{2}$‴ longa. Antheræ rubellæ. Staminodium semper exterius latus floris occupans, calycem pluries superans, glabrum, saturate rubrum. Calyx fœmineus circiter $\frac{2}{3}$‴ longus. Capsula vix ultra 2‴ longa, glabra, valvis angusto-lanceolatis. Semen fuscum oblique ellipsoideum læve 1$\frac{1}{2}$‴ longum, strophiola minuta membranea prædítum.

Species stipulis Pseud. occidentalem foliis Ps. pimeloidem æmulans, jam staminodio ab ambobus sicut a Ps. orientali et Ps. ovalifolio facile discriminata.

Pseudanthus orientalis.

Humilis, diffusus, foliis ovato- v. lineari-oblongis obtusis, stipulis dilatatis fimbriolato-denticulatis, floribus masculis hexandris breviter pedicellatis, *sepalis minutis ovatis, filamentis brevissimis,* sepalis floris fœminei obtusis.

In ericetis litoralibus Australiæ orientalis extratropicæ.

Fruticulus persimilis Micrantheo ericoidi. Folia 2–4‴ longa, conferta. Calyces masculi vix ultra $\frac{1}{2}$‴ longi flavidi. Capsulæ sessiles circ. 2‴ longæ, calycem aliquoties superantes. Semen pæne sesquilineare fusco-nigrum ellipsoideo-ovatum glabrum læve. Strophiola livida $\frac{1}{2}$‴ metiens.

Leguminosæ.

Pultenæa rosea.

Burtonia subalpina, F. M. in Transact. Phil. Soc. Vict. i. 39.

Ramulis pubescentibus mox glabratis cicatricosis, foliis confertis canaliculato-teretiusculis muticis glabris punctato-scabris, stipulis lineari-subulatis petiolum superantibus, floribus sessilibus terminalibus capitatis, bracteolis lineari-subulatis calycibus germinibusque villoso-sericeis, calycis labio supero subdeltoideo-bidentato, labii inferi laciniis semilanceolatis, tubo bracteolas lineari-subulatas æquante, *corolla omnino rosea*, stylo ultra medium piloso, legumine sessili villosulo compresso-ovato, seminibus atris.

In cacumine alpestri montis William, tractus Grampians.

Frutex pulcher, paucipedalis, densus, amplus, ramis adscendentibus erectisve teretibus lenticellatis fasciculatis glabratis. Folia leniter incurva, demum patula, 4–6‴ longa, petiolo 1‴ metiente insidentia. Stipulæ spadiceæ, inferne concretæ, diu persistentes, vix unquam patentes. Bracteæ badiæ, circiter 2‴ longæ, glabræ, nisi parce ciliatæ, laciniis lineari-setaceis. Calyx subcampanulatus, fere mediotenus quinquefidus, labiis 1–1½‴ longis. Petala omnia glabra, pulchre et saturatius rosea, præter basin vexilli luteam et carinæ apicem intensius rubrum concoloria. Vexillum orbiculatum, 3‴ metiens, alis oblongo-spathulatis sicut carina perparum longius. Filamenta 10, libera, glabra. Stylus basi non conspicue dilatatus. Germen bigemmulatum. Legumen 2‴ longum, abortu monospermum, intus glabrum, rostellulatum. Semen læve, nitens. Strophiola parva, alba, biloba, carnulenta.

Speciem rarissimam, hucusque nullibi nisi loco memorato repertam, nunc postquam legumina a clariss. Alex. Muirhead collecta accepi, absque dubio ad Pultenæam traho, cui generi jam venerabilis Hooker plantam etsi colore florum præsingularem dubie adnumeravit. (Conf. Hook. Kew. Miscell. viii. 41.)

Compositæ.

Senecio leucoglossus.

Herbaceus, glaber, foliis inferioribus rhombeo-cordatis in petiolum longum basi late auriculatum decurrentibus, superioribus ambitu ovato-lanceolatis basi subcordata amplexantibus, omnibus breviter pinnatilobis, lobis acute dentatis, paniculæ elongatæ cymis corymbosis oligocephalis, capituli parvi cylindracei minutim bracteolati squamis octonis virentibus, receptaculo nudo, corollis hermaphroditis 7–9 involucrum parum superantibus, *ligulis tribus*, *lamina alba* involucri longitudinem fere semiæquante, acheniis fuscis cylindraceis striatis minutim seriato-papillosis pappo scabriusculo brevioribus.

Ad ripas montanas amnis Harvey River, qui fluvio Murray River Australiæ occidentalis tributarius. A. Oldfield.

Herba 1–2′, erecta. Caulis striatus. Folia herbacea, inferiora uncialia v. paulo longiora petiolo late alato circiter ejusdem longitudinis donata, auriculis basalibus grosse et argute dentatis. Folia prope medium caulis sita sæpe biuncialia, summa uncialia. Pedunculi sæpe elongati et inferne longe nudi. Involucra $2\frac{1}{2}'''$ longa, squamis apice non sphacelatis, dorso binervatis, sursum angustatis, ætate secedentibus. Squamulæ bracteantes lanceolato-lineares, linea breviores. Corollæ hermaphroditæ sensim ex apice attenuatæ. Lamina ligularum subovata. Earum stylus exsertus. Achenia fere 1‴ longa, basi et apice leniter attenuata. Pappus tenerrimus, fragilis, albus.

Species a plerisque congeneribus et omnibus in Australia hucusque repertis ligularum colore diversa.

Goodeniaceæ.

Goodenia corynocarpa.

Herbacea, caulibus gracilibus glabratis, foliis ovato- v. angusto-lanceolatis planis integerrimis v. denticulatis raro irregulariter grosso-dentatis in petiolum decurrentibus, floralibus subsessilibus, omnibus parcissime strigulosis, pedunculis axillaribus solitariis unifloris ebracteolatis folium subæquantibus, calycibus alabastrisque extus striguloso-sericeis, tubo calycis floriferi cylindraceo, *corollæ flavæ lobis superioribus inæquilateris*, inferioribus obcordato-bilobis denticulatis, fauce albo-barbellata, staminibus perbrevibus, stylo corolla aliquoties breviore glabro, indusii tergo albobarbato, *capsula tenui-clavata* alte biloculata pleiosperma, seminibus planis nigris orbiculato-ovatis subtiliter reticulatis margine angusto livido alatis.

In locis paludosis ad flumen Murchison. A. Oldfield.

Herba bipedalis v. humilior, pluricaulis, gracilis. Folia inferiora addito petiolo usque ad 4″ longa et 2″ lata, sæpius autem minora, cetera gradatim magnitudine decrescentia, caulina media sæpe $1–1\frac{1}{2}''$ longa, $\frac{1}{3}–\frac{1}{2}''$ lata, floralia nonnunquam semuncialia v. imo breviora. Pedunculi unciam raro excedentes, sæpe breviores. Flores suaveolentes. Calycis laciniæ lineari-subulatæ $1–1\frac{1}{2}'''$ longæ, tubo conspicue breviores. Corolla semuncialis v. paulo longior; lobi inferiores utrinque superiores extus late alati, hi secus latus interius ala angustiore et longius decurrente prædíti; tubus intus albo-puberulus. Antheræ oblongæ, vix 1‴ metientes. Stylus lineam vix excedens. Capsula 4-5‴ longa, cylindrica, sursum leviter incrassata. Semina 1‴ longa.

Species a G. glauca, G. elongata et G. Aillya (Aillya umbellata Vries. Gooden. 76, t. 13, quæ usque ad flumen Murchison extendit) jam pedunculis brevioribus, corolla inæqualiter lobata, capsulæ

tenuitate et seminum forma magnitudine v. colore bene discriminanda est.

Dampiera biloculata.

Herbacea, adscendens, glabra, ramis gracilibus trigonis, foliis planis lanceolatis v. lineari-lanceolatis sessilibus integerrimis v. remote et argute dentatis, pedunculis axillaribus et terminalibus 2–3-floris folia æquantibus v. superantibus, bracteis lineari-subulatis, *corolla extus parcissime sericea, drupis biloculatis* puberulis ellipsoideis.

In collibus calcariis prope promontorium Leschenaultii et in locis humidis ad Vasse-flumen. A. Oldfield.

Herba flaccida 2–3 pedalis. Folia 1–2½″ longa. Bracteæ ad basin pedicelli sæpe solitariæ, 2–6‴ longæ. Bracteolæ ad apicem pedicelli oppositæ, 1–2½‴ longæ, nonnunquam deficientes. Corolla 4–8‴ longa cœrulea v. cornea, laciniis 1½–4‴ longis late et obtuse alatis; unguibus margine inflexis superioribus nigro-auriculatis. Stamina pæne 1‴ longa, glabra, stylo breviter superata. Indusium nigrescens, nudum. Stigma partim exsertum. Drupa bilinearis, leniter compressa, disperma v. abortu monosperma.

Propter capsulam biloculatam, quæ etiam in D. Verreauxii provenire videtur, species cum Scævolis concatenata est, habitu Scævolam clandestinam (Diaspasidem filifoliam R. Br.) satis æmulatur, inter congeneres D. prostratam approximat. In Dampiera Reinwardtii floribus flavis Goodenias mentiente observavi antheras jam sub anthesi solutas et drupam lenticulari-compressam. Hæc planta cum multis aliis jam pridem ad cygnorum fluvium repertis ditionem fluminis Murchison adtingit.

Dampiera incana.

R. Br. prodr. 588.

Fruticulosa, erecta, pilis ramosis dense *albido- v. cano tomentosa* rarius glabrata, ramis teretiusculis, *foliis sessilibus cuneato- v. oblongo-obovatis v. lanceolatis* margine planis repando-dentatis v. integerrimis, pedunculis unifloris v. spicatim pluri- v. multifloris, corolla extus præter alas cyaneas sericeo-tomentosa intus glabra, lobis labii inferi late alato-bilobis, lobis labii superi margine interiore imperfecte alatis, drupa minuta tomentosa uniloculata monosperma.

In campis arenosis inter flumina Murchison et Hutt River Australiæ occidentalis; ad fluvia Darling et Murray; in tractu arenoso ad flumina Hooker's Creek et Sturt's Creek et sine dubio per magnam Australiæ centralis partem.

Frutex 1–4′. Rami nonnunquam tomento elongato lanosi. Folia ¼–1½″ longa. Pedunculi nunc uniflori et in corymbum paniculamve foliatam dispositi, nunc spicam spithamæam v. breviorem aphyllam minute bracteatam gerentes. Calyx florifer lineam vix

superans, modo truncatus, modo acute dentatus, dentibus lanugine occultis. Corolla semuncialis v. minor; tubus intus luteus; labium superum auriculis parvis nigris præditum; lobi ejusdem secus marginem exteriorem truncato latoque alati, ad marginem interiorem ala parva dimidiato-ovata præditi. Stamina circiter 1‴ longa. Stylus vix bilinearis, cum staminibus glaber. Drupa, demto indumento, vix 1‴ longior, crustacea, costulata. Semen albidum, nitens, læve, loculum pericarpii explens. Embryon hyalinum, in albumine satis copiosa axile, cylindraceum, ratione seminis crassiusculum. Cotyledones plano-convexæ, radicula breviores.

Scævola atriplicina.

(Sect. Pogonandra.)

Fruticosa, erecta, ramulis subvelutinis, axillis barbatis, foliis planis herbaceis fasciculato-confertis oblongo- v. hastato-obovatis obtusis concoloribus in petiolum acutatis integerrimis v. irregulariter sinuato- v. repando-dentatis parce stellari-puberulis, *pedicellis solitariis flore brevioribus* apice bibracteolatis, bracteolis herbaceis subovatis integerrimis corolla superatis, calyce truncato, *corollæ* extus brevi-pubescentis intus prope medium sericeo-barbatæ *lobo medio inferne membrana glabra pectinata fimbriato*, stylo pubescente, indusio distincte ciliato dorso parum barbato.

In locis subulosis ad portum Gregorii. A. Oldfield.

Frutex paucipedalis, quibusdam Atriplicibus non dissimilis. Folia $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{2}$″ longa, tenui-trinervia, subtiliter venosa, in petiolum decurrentia. Corolla semuncialis, intus versus medium pilis reversis flavescentibus sericeo-barbata. Filamenta angustissime linearia, 4‴ longa, glabra. Antheræ glabræ, oblongæ, 1‴ metientes, apice connectivo obtuso brevi terminatæ. Styli longitudo 4‴, indumentum breve. Indusium conspicue albo-ciliatum. Fructus mihi ignoti remanebant.

Scævola phlebopetala.

(Sect. Pogonandra.)

Herbacea, diffusa v. procumbens, *patentim hirsuta*, foliis linearibus v. lanceolato-linearibus v. imis lanceolatis integerrimis v. remote denticulatis margine paulo revolutis, *pedunculis curvatis* patentibus axillaribus solitariis 1–3-floris florem subæquantibus v. superantibus *apice bracteolas duas perbreves lineari-subulatas gerentibus*, calycis laciniis lineari-subulatis germine longioribus v. ei æquilongis, corolla cœrulea extus præter alas hispidula intus inferne puberula et fauce albo-barbata, *alis transverse venoso-striatis*, antheris apice barbatis, stylo superne villoso v. omnino glabro, indusii dorso dense barbato ore longe ciliato, drupa ovata calycis limbo vix æquilonga hispidula costulata tuberculata crustacea biloculari disperma.

Ad flumen Murchison. Walcott et Oldfield.

Herba caules sæpe ulnares producens. Folia 1–3″ longa, 1–6‴ lata. Pedunculi universales utplurimum inter $\frac{3}{4}$ et $1\frac{1}{2}$″ longi, secundarii (si adsint) unciales v. breviores, varie flexi, ætate non raro uncinati. Bracteolæ 1–2‴ longæ, interdum a calycis basi paulo remotæ. Calycis tubus dense patentim pubescens. Corolla $\frac{2}{3}$–1″ longa; lobi late et subtruncato-alati brevissime acuminati; faux lutea. Filamenta antheris vix duplo longiora. Antheræ circiter $\frac{2}{3}$‴ longæ. Stylus circiter 3‴ longus. Villi indusii dorsales inferiores purpurascentes, superiores pallidi; ciliæ oris albæ. Drupa 3‴ longa. Semina livida, valde compressa, elliptica, fere 2‴ longa. Albumen copiosum.

Jam bracteolarum brevitate stirps a ceteris Pogonandræ seriei facile divellenda.

Scævola Oldfieldii.

(Sect. Xerocarpæa.)

Fruticosa, erecta, ramulis cum foliis bracteolisque glabris v. sericeis, *foliis lanceolatis* subacuminatis chartaceis planis v. margine paulo revolutis integerrimis v. remote et argute denticulatis in basin sessilem v. petiolum angustatis frequenter fasciculato-confertis, floribus axillaribus solitariis sessilibus fasciculato- v. spicato-congestis bracteolas ovato-cymbiformes longissime et tenuiter acuminatas fere semisuperantibus, calyce truncato, *corolla* alba v. cœrulescente unilabiata *extus sericea* intus inferne albo-pubescente, *lobis acutis anguste alatis ciliato-fimbriolatis*, antheris imberbibus, stylo pubescente, indusii dorso albo-villoso, ore breviter ciliato, drupis parvis exsuccis crustaceis obovatis costulatis rugulosis 1–2-loculatis.

In campis arenosis et clivis rupestribus ad flumen Murchison. A. Oldfield.

Frutex 2–8′. Petioli basi sensim dilatati. Folia 1–4″ longa, pallidius virentia, concoloria, nonnunquam tenuiter et æqualiter sericea. Flores modo spicam abbreviatam, modo fasciculum foliatum formantes. Bracteolæ persistentes, 4–6‴ longæ, acumine lineari-subulato. Corolla 7–10‴ longa, vix ad medium 5-fida, alis non truncatis. Stamina $2\frac{1}{2}$‴ longa. Antheræ obtusæ, filamento breviores. Stylus fere 4‴ metiens. Indusium $\frac{3}{4}$‴ latum. Drupæ glabræ, fere 2‴ longæ.

Quoad indumentum varietas altera *leiophylla* et altera *sericophylla* distinguendæ sunt.

Scævola porocarya.

Fruticosa, erecta, glabra, *foliis lanceolato-linearibus* sessilibus chartaceis basi amplexantibus margine recurvis integerrimis, floribus axillaribus solitariis sessilibus spicam foliatam fingentibus, bracteolis lanceolato-subulatis, calyce truncato, *drupis magnis ex-*

succis subglobosis sulcatis, putamine crasso irregulariter quadriloculari poroso osseo-septato, seminibus inæqualibus.

In collibus calcariis ad flumen Murchison. Oldfield.

Folia unici speciminis extantis $1\frac{1}{2}$–3″ longa, $1\frac{1}{2}$–4‴ lata. Bracteolæ persistentes, pæne 3‴ longæ. Flores deficiunt. Drupa circiter semuncialis, limbo calycis brevi terminata, sulcis 8–9 satis latis profundisque exarata. Semina ventre convexa, dorso plana, abortu sæpe ad 1–3 reducta, mutua loculorum pressione sæpe deformia.

Species Sc. collari (F. M. in Report on Babb. Plants, p. 15) non dissimilis, sed fructus collo, quo illa species excellit, omnino orbata est, præterea drupa nec pedunculata nec tenuiter et æqualiter septata facillime dignoscitur.

Leschenaultia chlorantha.

Glabra, *foliis subsetaceis* confertis patentibus muticis, pedicellis folia subæquantibus sparsis, calycis laciniis lineari-setaceis tubo corollæ vix brevioribus, *corolla subviridula* bilabiata extus glabra, labii superi lobis apteris lanceolatis superne cohærentibus integerrimis, labii inferi lobis alato-bilobis crenulatis apiculatis, tubo ante basin tantum barbato, staminibus corollam semiæquantibus styloque glabris, indusio brevissime ciliolato.

In vallibus rupestribus ad flumen Murchison.

Fruticulus humilis patentim ramosus. Ramuli cortice pallido molli friabili obducti. Folia 3–5‴ longa, circiter $\frac{1}{5}$–$\frac{1}{6}$‴ crassa, non rigidula, sed exsiccatione curvata. Corolla juxta adnotationem inventoris dilute viridula, pæne $\frac{3}{4}$‴ longa, mediotenus bilabiata; tubus antice profunde fissus; lobi subæquilongi; labium superum apice indusio accumbens, infra apicem basin versus in lobos suos solutum; alæ loborum inferiorum ultra lineam latæ, patentissime venosæ. Filamenta alba, circiter $2\frac{1}{2}$‴ longa, ætate flexuosa. Antheræ vix 1‴ metientes, ætate solutæ. Stylus circiter 5‴ longus, superne sensim attenuatus. Stigmatis labium alterum distinctius albo-barbatum. Capsula circiter 1″ longa, 1‴ lata, polysperma. Semina oblonga, basi et apice truncata, matura hactenus ignota.

Species foliorum præangustia et florum colore eximia systemati prope L. pallescentem, simul ad flumen Murchison occurrentem, inserenda. Hæc species præter alias notas jam lobis corollæ superioribus disjunctis alatis cum inferioribus fere in labium unum coadunatis facillime discriminatur.

Lobeliaceæ.

Lobelia stenotheca.

(Sect. Rapuntium.)

Glabra, caule teretiusculo flaccido suberecto, foliis inferioribus obovato- v. lineari-lanceolatis crenulatis, superioribus lanceolato- v. angusto-linearibus denticulatis v. integerrimis, *floribus* axillari-

bus solitariis *sessilibus, calycis tubo filiformi lobis lineari-subulatis patentissimis longiore,* corollæ glabræ lobis superioribus lanceolato-subulatis arcuatis, inferioribus late ovatis, omnibus apice parce barbellatis, filamentis superne cohærentibus, antheris omnibus apice sericeo-barbatis, *capsula elongato-cylindracea,* seminibus compresso-ovatis.

In locis scaturiginosis ad flumina Moore et Murchison River. A. Oldfield.

Herba quoad staturam L. ancipiti, eodem loco provenienti, haud dissimilis. Folia inferiora usque ad $3\frac{1}{2}''$ longa et $1''$ lata, superiora sæpe 1–$3'''$ lata, summa pleraque subuncialia. Calycis tubus basi bracteolis duabus linearibus acutis $\frac{1}{6}$–$1''$ longis suffultus. Calycis laciniæ longitudine inter $\frac{2}{3}$ et 2 lineas variantes, insigniter divaricatæ, qua nota speciem jam e longinquo recognoscimus. Corollæ cœruleæ tubus antice longitudinaliter fissus, glaber; palatum subtilissime puberulum, plicis duabus turgens; laciniæ circiter sesquilineares, superiores recurvæ. Stamina 5, interdum 4. Filamenta albida, circiter $2'''$ longa, inferne ciliolata, superne etiam ætate cohærentia, a corolla libera. Antheræ saturate purpureæ, parum inæquales, lineam metientes, oblongo-lineares, introrsum rimis duabus dehiscentes, apice breviter sericeo-comosæ. Stylus 2–$2\frac{1}{2}'''$ longus, filiformis, glaber, sursum incrassatus, demum dehiscentia capsulæ e basi in duos secedens, facile longitudinaliter fissilis. Stigma bilobum, verticaliter decurvum, lobis planiusculis fere semiorbiculatis. Capsula obiter inspecta pedicellum æmulans, compresso-cylindracea, biloculata, circiter pollicem longa et lineam lata, apicem versus leniter incrassata, ipso obtuso apice ultra calycem producta et hinc rima verticali dehiscens. Placentæ breves, septis adnatæ. Semina valde numerosa, pæne $\frac{1}{4}'''$ longa, nitenti-fusca, lævia, ovata, paulo compressa.

Gentianeæ.

Villarsia albiflora.

V. reniformis, Nees in Lehm. pl. Preiss. i. 364, non R. Br.

Glabra, elatior, foliis radicalibus cordatis v. renatis repandis, caulinis ramos suffulcientibus lineari-lanceolatis bracteiformibus, panicula terminali longe ramosa laxa multiflora, calyce quinquepartito corollam semiæquante, *corollæ albæ lobis anguste alatis acutis* inferne fimbriato-barbatis margine nudis, stylo conspicuo, germine multigemmulato.

In stagnis prope oppida Perth et Hampden. Clarke et Oldfield.

Herba sæpe ulnaris, erecta, habitu Villarsiæ parnassifoliæ simillima. Folia radicalia longe petiolata, 1–$2''$ lata. Corolla profunde 5-partita, simul cum barba alba. Filamenta antheris conspicue breviora, glandulis perigynis semiorbiculatis et corollæ lobis alterna. Antheræ flavæ, lineari-oblongæ, inferne sensim latiores, circiter

$1\frac{1}{3}'''$ longæ. Stylus fere $1'''$ metiens. Stigma $\frac{1}{2}'''$ longum, e lamellis 2 ovatis glabris constans. Germen conicum. Placentæ alte extensæ. Gemmulæ late ovatæ. Capsula adhuc ignota.

Vera Vill. reniformis cum specie hinc exposita confundi nequit, propter corollam semper luteam lato- et truncato-alatam. Optimum forsan discrimen, quo V. latifolia a speciebus affinibus distinguenda præbent semina, turgiditate et nigrescente colore eximia et nitore orbata, iis igitur Limnanthemi geminati similiora. V. latifoliam in vicinia fluminis Murchison reperit clar. Oldfield.

Convolvulaceæ.

Ipomœa modesta.

Volubilis, sericea, ramis herbaceis teretibus, *foliis breviter petiolatis integerrimis linearibus v. oblongo-linearibus* acutis basi eglandulosis, pedunculis axillaribus solitariis unifloris flori æquilongis v. eo duplo longioribus, *bracteolis hypocalycinis lanceolatis* sepala late et orbiculari-ovata acutiuscula fere semiæquantibus, corolla campanulata extus puberula calycem fere semisuperante, filamentis styloque glabris, stigmate capitato.

In virgultis ad flumen Murchison. A. Oldfield.

Herba paucipedalis v. humilior. Folia 1–2″ longa, 1–$2\frac{1}{2}'''$ lata, ut omnes aliæ stirpis partes præter corollam cano- v. argenteo-sericea. Bracteolæ ex apice pedunculorum ortæ, calyci appressæ, fere sepaloideæ, $1\frac{1}{2}$–$2'''$ longæ. Sepala 2–$2\frac{1}{2}'''$ longa, intus glabra. Corolla rosea, campanulata, plicata, extus puberula, intus glabra. Filamenta capillaria, antheram subæquantia glabra. Antheræ flavæ, oblongæ, lineam metientes. Stylus 1–$1\frac{1}{2}'''$ longus, tenuifiliformis. Stigmata duo in unicum connata. Capsula nondum nota.

I. modesta inter congeres Australasicas I. denticulatæ proxime accedit et distributionem generis usque in regiones extratropicas Australiæ occidentalis expandit.

Verbenaceæ.

Chloanthes loxocarpa.

(Sect. Phlomidæa.)

Suffruticosa, pilis ramosis tomentosa, glabrescens, *caulibus distanter foliatis* teretiusculis subsimplicibus, foliis lanceolato-ovatis rugosis crenato-dentatis in basin subsessilem cuneatam integerrimam angustatis margine leniter recurvis, *pedunculis oppositis distantibus cymoso-plurifloris paniculam interruptam elongatam formantibus*, pedicellis plerisque calyce brevioribus, calyce profunde 5-fido pilis ramosis fulvescentibus tomentoso, laciniis linearivel oblongo-lanceolatis, corolla calycem bis terve superante extus velutina, labio supero breviter bilobo, inferi lobis lateralibus semi-

ovatis, medio rotundo-renato basi pilis subclavatis barbato, fauce albo-pubescente staminibus breviter superata, antherarum loculis omnibus minutim appendiculatis, drupis dimidiato-globosis.

In locis sabulosis ad flumen Murchison. A. Oldfield.

Suffrutex 3–4′. Caules ex eodem rhizomate plures v. numerosi, inordinate patentes. Folia $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{2}''$ longa. Pedunculi elongati v. abbreviati, intervallo sesqui- usque pluriunciali distantes, ex axi foliorum floralium magnitudine sensim decrescentium et ætate deciduorum egredientes. Bracteolæ lanceolatæ v. lineares, 1–2‴ longæ, extus tomentellæ. Calyx 2–3‴ longus, intus præter apicem glabriusculus. Corolla albida, inferne tubulosa et glabra, intus supra basin juxta staminum insertionem pilis albis sericeis annulata, superne campanulato-ampliata et intus purpureo-punctata. Lobi labii superioris breves semiorbiculati, labii inferioris laterales medio breviores. Filamenta inferne adnata, secus partem liberam glabra. Antheræ loculi ellipsoidei, divergentes, appendicibus minutis albidis basalibus. Stylus 2–3‴ longus, glaber, ob germen inæquilaterum, quasi laterales. Stigmatis lobi breves, subulati. Germen disco brevi cinctum, vertice velutinum. Drupa crustacea, exsucca, fere dimidiato- v. saltem obliquo-globosa, fere glabrata, circiter $1\frac{1}{2}'''$ longa, styli basi apiculata, basi perforata, altero dimidio sæpe imperfecto trilocularis evadens, loculo medio monospermo, lateralibus vacuis v. semen emarcidum gignentibus. Semen basi loculi affixum, trigono-ovatum. Albumen satis copiosum.

Chl. atriplicinæ proxima.

In herbario Oldfieldii plures aliæ Verbenaceæ exstant, serius describendæ.

Plantagineæ.

Plantago stellaris.

(Sect. Plantaginella.)

Acaulis, perennis, collo radicis crassissimo, *foliis crassis rigidis nitentibus glabris stellatim patentibus lato- v. lineari-lanceolatis* acutis integerrimis v. calloso-denticulatis repandis subtrinerviis in petiolum brevem latum basi stuppaceum desinentibus, *pedunculis brevibus v. brevissimis, spicis pauciflоris capitatis* raro ad florem unicum reductis, bracteolis calyci fere æquilongis late naviculari-ovatis acuminatis margine scariosis sepalisque fere conformibus glabris, corollæ laciniis ovatis subacuminatis, tubo glabro, capsula 3–5-sperma, seminibus nigris.

In irriguis glareosis alpium Australiæ prope originem fluviorum Murray et Snowy River.

Radix crassa, abscissa, fibras validas producens. Folia $\frac{3}{4}$–$2''$ longa, 2–6‴ lata. Spicæ virentes v. purpurascentes. Pedunculi glabri v. sericeo-tomentosi. Stylus exsertus, puberulus. Semina ovata, magis minusve acuta, ad latus interius planiuscula.

P. monanthæ et P. Brownii cognata.

Orchideæ.

Oberonia palmicola.

Subacaulis, glabra, foliis angusto- v. subfalcato-lanceolatis, summo secus pedunculum decurrente, racemis multifloris folia aliquoties superantibus, *bracteolis integerrimis subulato-lanceolatis, floribus minutissimis*, pedicellis sparsis v. subverticillatis bracteolæ æquilongis capsula late ovata prominenter costata paulo brevioribus.

In truncis Corypharum ad fluvium Hastings. Dr. Herm. Beckler.

Herbula pulchella. Radix e fasciculo fibrillarum filiformium tortuosarum $1\frac{1}{2}$–4″ longarum constans. Folia subdisticha, acuta, si e radice multicipite exsurgunt, pæne cæspitosa ; inferiora circiter 1″ longa ; superiora ad longitudinem $2\frac{1}{2}$″ elongata, bene evoluta variantia latitudine 2–4‴ ; summum v. etiam pænultimum pedunculo breviusculo unilateraliter adnatum, quasi dimidiatum, superne liberum et patulum. Racemi 2–4″ longi, inferne bracteis vacuis bracteolas simulantibus præditi. Flores circiter $\frac{1}{3}$‴ longi, sed eorum accuratam structuram e speciminibus solum fructigeris suppetentibus extricare haud contigit ; nihilominus stirpis positio generica vix dubiis subjecta est. Capsula 1‴ vix aut paulo longior. Semina nigrescentia.

Illa Oberonia, quam ad flumen Brisbane provenientem indicavi (Conf. Lindl. fol. Orchid. fasc. 8), verisimiliter vera est O. iridifolia.

Fasciculus XI. editus Febr. 1860.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

XII.

Malpighiaceæ.

Cadellia.

Sepala 5, raro 6–7, eglandulosa, præfloratione quincuncialia, exteriora 3 ovalia, interiora 2 oblonga, ætate aucta. *Petala* 5, subæqualia, integerrima, plana, sepalis alterna, iisdem paulo longiora, obovato- v. oblongo-cuneata, *in basin sensim angustata*, decidua, ungue distincto nullo. Stamina 10, libera, corolla breviora, omnia fertilia. Filamenta glabra, capillaria; sepalina petalinis longiora. Antheræ conformes, introrsæ, ovatæ, basi cordatæ, basifixæ, biloculares, minutim apiculatæ, loculis rima longitudinali dehiscentibus. Pollinis sicci granula ellipsoidea, longitudinaliter rimoso-aperta. *Germina* 5, *libera*, unigemmulata. Styli 5, liberi, angulo centrali germinum continui, breves, setacei, stigmate ovato plano introrso oblique terminati. *Carpidia quinque, aptera*, indehiscentia, globoso-trigona. Semen ope funiculi brevis prope apicem loculi appensum. Albumen nullum. Cotyledones planæ, plicatæ, convolutæ. Radicula brevis, supera.

Arbor Australiæ orientalis, ramulis patentim puberulis, *foliis alternis in petiolum brevem glandula elliptica depressa munitum angustatis* oblongo- v. obovato-cuneatis glabris integerrimis, stipulis minutis lateralibus caducis, pedunculis axillaribus uni- v. pauci-floris, pedicellis basi minutim et decidue bibracteolatis, carpidiis minutis glabris.

Genus aucto carpidiorum numero in ordine alienum, transitum ad sapindacearum familiam ostendens, signavi nomine clarissimi Francisci Cadell, præfecti navalis, qui navigationem fluviorum Murray et Darling animose incipiens non solum explorationem terræ Australis interioris adhuc incognitæ faciliorem reddit, sed etiam expeditionem nunc in plagas Australiæ centralis suscipiendam animo generoso adjuvit.

Cadellia pentastylis.

In rupibus cataractarum fluvii Severn prope oppidulum Tentherfield (lat. 29° austr.) rara. C. St.

Arbor altitudinem 40 pedum attinens. Cortex extus nigrescens corrugatus, intus rubicundus, adstringens. Folia chartacea, 1–2″ longa, $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}$″ lata, tenuiter penninervia et venosa, obtusa vel emarginata, subtus paulo pallidiora. Pedunculi tenues, paucilineares. Pedicelli florem subæquantes, vel eo ad dimidium breviores, basi bracteolam ovato- v. lineari-oblongam $\frac{1}{2}$–$1\frac{1}{2}$‴ longam, producentes. Sepala obtusa, sub anthesi 2–$2\frac{1}{2}$‴ longa, ciliolata, extus puberula, intus glabra, ætate circiter 4‴ longa, tunc rigidula et conspicius reticulato-venosa. Petala, quantum e siccis dejudicare licet, albida, glabra, pæne 3‴ longa. Filamenta sepalina 1–2‴ petalina $\frac{1}{2}$–1‴ longa. Antheræ flavæ, glaberrimæ, circiter lineam metientes. Germina dorso convexa, angulo centrali in globulum conniventia, sed penitus disjuncta, sessilia. Styli glabri, primum recti, demum recurvi. Carpidia exsucca, rugulosa, $1\frac{1}{2}$–2‴ longa et lata, fusca, glabra, sæpius depressa. Pericarpium crustaceum, humefactum pressura in valvas duas fere separandum. Semen lividum, loculum explens, globoso-subcordatum. Testa membranea. Cotyledones convolutæ, vario modo inflexæ.

Præter hancce plantam, Nitrariam et Tristellateiam Australasicam, quam cl. Jos. Hooker ex Australia tropica accepisse monet, nullam aliam cognovi malpighiaceam in terra Australi vigentem. Aliæ autem stirpes hujus ordinis fortasse in silvis nondum exploratis Australiæ boreali-orientalis latent.

Explanatio analyseos tabulæ duodecimæ.—1, pili; 2, flos antice visus; 3, flos a dorso visus; 4, floris normalis diagramma; 5, floris heptasepali diagramma; 6, sepala; 7, petalum; 8, stamina et pistilla a latere inspecta; 9, eadem a vertice visa; 10, stamina juniora; 11, stamina vetustiora; 12, pollinis granula; 13, pistillum seorsum; 14, carpidium solitarium; 15, idem longitudinaliter sectum; 16, semen a fronte visum; 17, semen a dorso visum; 18, semen a latere visum; 19, carpidium transverse sectum; 20, embryon evolutum.

Myrtaceæ.

Backhousia sciadophora.

Arborea, *glabra*, foliis majusculis chartaceis late ovatis breviter petiolatis in apicem obtusum protractis tenuiter penninerviis subtiliter reticulari-venosis, *umbellis paucifloris* dense v. corymbose confertis, bracteis bracteolisque subovatis ciliatis, pedicellis flore longioribus gracilibus, *calycis limbo parvo quadrilobo corolla tetrapetala paulo superato*, lobis rotundato-obtusis, germinis vertice puberulo leviter convexo vix exserto.

In silvis ad fluvia Hastings et McLeay River. Dr. Herm. Beckler.

Arbor magna. Cortex secundum detectoris adnotationem, cine-

Ludwig Becker, del

Cadellia pentastylis. *F.M.*

Ladd & Carr Imp.

reus, nitidulus, illævis. Rami multoties repetito ramulosi. Ramuli teretiusculi. Folia aromatice graveolentia, pæne Cardamomi odorem spirantia, glandulis pellucentibus creberrimis punctata, longitudine inter $1\frac{1}{2}$ et $3''$ variabilia, integerrima v. repandula, supra nitentia, subtus paulo pallidiora, nonnunquam ferme rotunda. Pedunculi unciales v. breviores. Pedicelli tenui-filiformes, $\frac{1}{2}$–$1''$ longi, cum calycis tubo glabri. Bracteæ ad pedicellorum basin sitæ, sæpe $1'''$ breviores. Calycis limbus 4- raro 5-lobus; lobi præter marginem ciliatum glabri; duo semiorbiculares $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}'''$ longi, duo teneriores subrotundi, lineam vix excedentes. Petala orbicularia, omnino glabra, lineam paulo excedentia. Stamina 40–50; unum alterumve nonnunquam in petalum semimutatum vel casu æqualiter raro antheram magnitudine auctam gerens. Filamenta glabra, capillaria, usque ad $2'''$ longa. Antheræ didymo-rotundæ, circiter $\frac{1}{6}'''$ longæ, loculis parallelis, rima longitudinali hiantibus. Stylus setaceus, glaber v. inferne parcissime pilosulus, $2'''$ longus, peracta anthesi $3'''$ metiens. Capsula fere sesquilinearis, didymo- v. depresso-globosa, facile separando e calyce evolvenda, septicide in carpidia duo dimidiato-globosa partibilis. Pericarpium tenue. Semina in loculis 3–4, trigono-ovata, compressa, aptera, pæne collateraliter placentæ septali affixa, $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}'''$ longa. Testa tenui-crustacea, fulvida, lucens, lævis. Cotyledones albæ, foliaceæ, concurvæ. Radicula cylindracea.

Species affinitate arctius B. citriodoræ connexa, quam B. myrtifoliæ et B. angustifoliæ.

Kunzea brachyandra.

Erecta, foliis chartaceis longe lanceolato-linearibus sessilibus primum subsericeis demum glabratis, floribus breviter pedicellatis aut axillaribus solitariis aut terminalibus in corymbum pauciflorum subcapitatum congestis, bracteis caducis subcordatis extus sericeis, petalis albis lobos calycis semiovali-deltoideos duplo superantibus, *staminibus corollam semiæquantibus*, fructibus campanulatis triloculatis.

Ad ripas fluminis Hastings. Dr. Herman Beckler. Ad Severn flumen, C. St.

Frutex virgato-ramosus elatior. Folia $\frac{2}{3}$–$2''$ longa, 1–$2'''$ lata, pellucide punctata, 5-nervia, nervo media subtus prominente, lateralibus tenuissimis. Bracteæ cucullatæ, sesquilineares, non acuminatæ. Bracteolæ sæpe lanceolatæ, circiter $1'''$ longæ. Calycis tubus turbinato-campanulatus; lobi $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}'''$ longi, dense breviterque ciliati. Petala obovato-orbicularia, glabra, pæne $1\frac{1}{2}'''$ longa, in brevissimum unguem attenuata. Stamina 22–24, calycis lobos subæquantia. Antheræ subcordatæ, glandula terminatæ. Stylus $1'''$ longus. Germen multigemmulatum. Capsula fere $2'''$ longa, usque ad apicem tubi calycini extensa, nec infra limbum calycis terminans.

Species staminum brevitate aliena, ad Leptospermum tendens, habitu et plerisque notis Kunzeæ pedunculari congrua. K. parvifoliam in montibus Buffalo Range reperi. K. Schaueri ad flumen McLeay River collectam misit Dr. Beckler. K. peduncularis e numerosissimis ovulis pauca tantum maturescit; ejusdem capsula variat tri-quinqueloculari.

Kunzea podantha.

Glabra, foliis orbiculato- v. cuneato-obovatis planis gracile petiolatis, *pedicellis axillaribus solitariis folio subæquilongis*, bracteolis cymbiformibus caducis, calycis tubo semiovato lobis deltoideis ciliolatis fere duplo longiore, petalis albis orbicularibus, *staminibus* 5–15 *corolla aliquoties brevioribus*, stylo brevi, capsula 4–5-loculata.

Ad ripas amnium Phillips et Fitzgerald River. Mx.

Frutex Leptospermi figura. Folia tenui-coriacea, $1\frac{1}{2}$–5‴ longa, 1–2‴ lata. Bracteolæ circiter 1‴ longæ, glabræ. Petala $1\frac{1}{2}$–2‴ longa, vix unguiculata. Filamenta lineari-subulata, 1‴ breviora, alba. Stylus lineam metiens. Stigma dilatatum. Fructus maturus ignotus.

Species evidenter K. pedunculari et K. brachyandræ congener, quibuscum sectionem generis propriam (Leptospermæam dicendam) format. Huic etiam sectioni Leptospermum brevipes forsan adnumerari possit.

Kunzea eriocalyx.

Foliis confertis glabris trigono-filiformibus obtusis inferne gradatim attenuatis gracile petiolatis, capitulis terminalibus bi- v. paucifloris, bracteis rhombeo-ovatis breviter acuminatis glabris, bracteolis linearibus acutis dorso lanuginosis, *calyce extus dense albo-lanoso*, lobis brevibus semiovatis obtusis, staminibus 14–16 corollam roseam fere semisuperantibus, stylo exserto glabro, germine biloculato.

In monte Middle Mount Barren, una cum K. micromera. Mx.

Species pulchella, quandam Boroniam æmulans. Folia $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}$‴ longa, $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}$‴ crassa. Bracteæ lineam longæ. Bracteolæ fere $1\frac{1}{2}$‴ metientes. Calycis tubus 2‴ longus; lobi $\frac{2}{3}$‴ circiter metientes, intus glabri et saturate purpurei, extus indumento tubi vestiti. Petala glabra, orbicularia, lineam paulo excedentia. Filamenta rosea. Antheræ ochroleucæ, didymo-rotundæ. Stylus 2‴ longus, glaber. Fructus hactenus non detectus.

Proxima K. pauciflora, cui petala sunt orbiculata rosea.

Hypocalymma longifolium.

Glabrum, ramulis tetragonis, *foliis elongatis trigonis angustis* subcanaliculatis recurvo-acuminatis nitidis punctatis dorso tenuiter unisulcatis, floribus axillaribus geminis subsessilibus, staminibus

numerosis, calyce fructifero valde depresso, *capsula biloculari* vertice convexa.

In rupibus ad flumen Murchison. A. Oldfield.

Frutex 4–5′. Folia $1\frac{1}{2}$–3″ longa, vix 1‴ lata. Calycis lobi ætate triangulares, fere 1‴ lati. Petala decidua. Stamina emarcida capsulam vix æquantia. Fructus brevissime pedicellati, diametro pæne 3‴ tenentes. Capsula loculicide hians.

Species foliis elongatis recognoscenda, a H. angustifolia, cui proxima, fructus dehiscentia differt.

Hypocalymma xanthopetalum.

(Sect. Astrocalymma.)

Ramulis hirtello-pubescentibus teretiusculis, *foliis oblongo- v. obovato-cuneatis* glabris margine scabridis basi semiamplexantibus, floribus axillaribus geminis sessilibus, bracteis subrotundis bracteolisque persistentibus, *petalis flavescentibus*, staminibus numerosis.

In locis aridis ad sinum Champion Bay et flumen Murchison. A. Oldfield.

Fruticulus humilis diffusus. Folia coriacea, $\frac{1}{3}$–1″ longa, $1\frac{1}{2}$–4‴ lata, plana, tenuiter uninervia. Bracteolæ 1–$1\frac{1}{2}$‴ longæ, fere rotundæ, plus minusve complicatæ, glabræ, scariosæ, ciliolatæ. Sepala scariosa, glabra, flavida, fulvescentia, semiorbiculata vel semiovata, saltem 1‴ lata. Petala subrotunda, circiter $1\frac{1}{2}$‴ lata. Filamenta glabra. Antheræ pæne $\frac{1}{6}$‴ longæ, ovatæ. Stylus filiformis, $1\frac{1}{2}$–2‴ metiens. Fructus adhuc ignotus.

Floribus Hypocalymmæ scariosæ similis, foliis valde differt. Balaustion huic generi nimis arcte accedit.

Eremæa ebracteata.

Ramulis cum innovationibus villoso-pubescentibus, foliis linearibus acutiusculis muticis confertis patulis demum glabratis, floralibus conformibus, *floribus ebracteatis* sparsis vel paucissimis capitato-congestis, bracteolis minutis cordato-ovatis glabris ciliatis, staminibus basin versus conspicue connatis, stylo glabro, *fructus tubo semiovato, valvis parum exsertis*, parte emersa extus tomentosa pubescente, seminibus fertilibus modice alatis.

Ad fluvium Murchison. A. Oldfield.

Frutex 1–2′. Folia patentia, 3–6‴ longa, $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}$‴ lata, supra planiuscula, subtus magis minusve convexa, in petiolum perbrevem angustata. Bracteolæ $\frac{2}{3}$–$1\frac{1}{3}$‴ longæ, membraneæ. Calycis floriferi tubus 2‴ longus; dentes triangulares acuminati, vix ultra 1‴ longi. Petala præter marginem subtilissime ciliatum glabra, erubescentia v. partim virentia, 2–3‴ longa, orbiculata, vix brevissime unguiculata. Antheræ aureæ, ovato-globosæ. Stylus setaceus, denique semipollicaris. Calyx frutifer lignoso-induratus, longior quam

latior, 4–5 longus. Semina tam fertilia quam sterilia iis E. acutifoliæ similia, nisi fertilia pallidiora, livida.

Species ab omnibus fructus forma recedens.

Eremæa acutifolia.

Ramulis cum innovationibus villosis, *foliis linearibus acutis mucronulatis* confertis patentibus demum glabratis, floribus solitariis, *bracteis plurimis lanceolato-linearibus florem cingentibus*, calycibus extus dense et patentim tomentosis, staminibus basin versus conspicue connatis, stylo inferne pubescente, fructus tubo hemisphærico glabrescente, valvis semiexsertis, parte emersa extus tomentosa, seminibus fertilibus conspicue alatis.

Ad sinum Champion Bay. Walcott.

Rami robusti. Folia in brevissimum latumque petiolum transientia, pungentia, 3–6‴ longa, $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}$‴ lata, subtus leniter convexa, demum fere plana. Bracteæ plures, lineari- v. spathulato-lanceolatæ, $1\frac{1}{2}$–2‴ longæ, extus sericeo-pubescentes, persistentes. Calyx florifer circiter 3‴ longus, lobis semilanceolatis tubo semiovato vix brevioribus. Petala scariosa, 2–$2\frac{1}{2}$‴ longa, glabra, margine inflexa, orbiculato-ovata, late et longiuscule unguiculata, fulvescentia, nunc rubella. Stamina corollam saltem semisuperantia, valde numerosa, basi in annulum connata, quocum decidua, in phalanges petalis oppositas congesta. Antheræ flavæ, subovatæ, rimis brevibus dehiscentes. Stylus setaceus, stamina paulo superans. Stigma perminutum. Germinis vertex dense velutinus. Fructus lignoso-induratus, triloculatus; tubus hemisphæricus, sero glabrescens, circiter $2\frac{1}{2}$‴ longus. Semina erecta, placentæ basilari affixa; sterilia in loculis plura, angulato-clavata, fulva, 1–$1\frac{1}{3}$‴ longa, lævia, aptera; fertilia quatuor v. pauciora in quovis loculo, inæqualiter tetragono-clavata, sterilibus æquilonga, angulis membrana hyalina transverse multipartita alatis; alæ laterales $\frac{1}{2}$‴ latæ, circum seminis apicem decumbentes; alæ secus interiores angulos $\frac{1}{4}$‴ circiter latæ. Albumen nullum.

Eremæa ericifolia, ad flumen Harvey a cl. Oldfield collecta, cum E. pilosa videtur combinanda. E. fimbriata occurrit ad flumina Hutt et Hill Australiæ occidentalis, ubi etiam varietas latifolia reperienda.

Harmogia corynophylla.

Foliis trigono-ovatis apiculatis scabridis in brevem petiolum desinentibus, umbellis axillaribus subtrifloris, pedunculis folium subæquantibus, pedicellis calyci vix æquilongis, bracteolis linearisubulatis, *calycis lobis acutis* petala semiæquantibus, staminibus 6–8, filamentis perbrevibus, antheræ loculis connectivo reniformi-orbiculato introrsum adnatis, fructibus subcampanulatis triloculatis.

In montibus Fitzgerald Range. Mx.

Frutex aromatico-fragrans. Ramuli minutim tuberculati. Folia $2\frac{1}{2}$–4‴ longa, apicem versus circiter 1‴ lata, a lateribus plus minusve compressa. Bracteolæ 1–$1\frac{1}{2}$‴ longæ, tarde deciduæ. Calycis lobi e triangulari basi subulato-acutati, ex parte petaloideo-marginati. Petala alba, pæne $1\frac{1}{2}$‴ longa, orbicularia. Stamina perbrevia, mox decidua. Stylus brevissimus. Germen plurigemmulatum. Capsula ignota.

Harmogia crispiflora.

Foliis obovatis integerrimis subsessilibus, pedunculis unifloris folium superantibus pedicello conspicue longioribus, bracteolis diu persistentibus canaliculato-linearibus pedicello æquilongis, calycis limbo ampliato mediotenus lobato, lobis semiorbiculatis corolla aliquoties brevioribus, *petalis centrum versus callosis marginem versus crispatis*, staminibus 12–14, fructibus campanulato-urceolatis, limbo ultra capsulam trilocularem expanso.

In montibus Phillips Range. Mx.

Frutex glaber, odore suavi aromatico. Folia $1\frac{1}{2}$–2‴ longa, leviter concurva. Pedunculi semunciales v. breviores. Bracteolæ 1–$1\frac{1}{2}$‴ longæ. Calycis tubus demum fere globosus et sub limbo constrictus. Petala alba, 1‴ paulo longiora, in unguem brevissimum angustata. Filamenta $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}$‴ longa. Antheræ cordato-globosæ. Stylus perbrevis. Calyx fructifer 2‴ longus. Semina plura, angulato-ovata, compressa.

Unica hujus generis species (H. umbellata) in zona torrida vigens, ad cataractas fluvii Victoriæ collecta fuit. Hæc H. virgatam simulat.

Harmogia pentandra.

Foliis brevibus trigono-semiteretibus lævibus brevissime petiolatis, umbellis perbreviter pedunculatis 2–4-floris nunc ad unicum florem reductis, pedicellis tam calyce quam folio longioribus, bracteolis deciduis lineari-canaliculatis, calycis minuti lobis semiorbiculatis corolla aliquoties brevioribus, *staminibus quinque*, vertice germinis plano.

In montibus East Mount Barren et Gardiner Range. Mx.

Frutex tenellus. Folia primum approximata, demum satis distantia, 1–2‴ longa, obtusiuscula. Umbellæ prope apicem ramulorum confertæ, ibidemque paniculam racemosam præbentes. Bracteolæ linea sæpe breviores. Pedicelli rubicundi, $1\frac{1}{2}$–2‴ longi, tenui-filiformes, fere capillares. Calyx florifer vix ultra lineam longus. Petala orbiculata, alba vel erubescentia, pæne $1\frac{1}{2}$‴ longa. Filamenta circiter $\frac{1}{3}$‴ longa. Antheræ saturate violaceæ, subglobosæ. Stylus brevissimus. Germen triloculare, loculis plurigemmulatis.

Harmogia ovalifolia.

Foliis ovalibus oblongisve breviter petiolatis dorso convexis facie concavis, *pedunculis unifloris* folium subæquantibus pedicello vix longioribus, bracteolis lineari-canaliculatis caducis, calycis tubo hemisphærico, lobis semiorbiculatis corolla multo brevioribus, staminibus 13–17, germinis triloculati vertice convexo.

In monte East Mount Barren. Maxw.

Frutex graveolens, Astarteæ latifoliæ similis. Folia conferta, 2–3‴ longa, margine paulo scabriuscula. Bracteolæ vix ultra lineam longæ. Calycis lobi fere petaloidei, erubescentes, circiter $\frac{2}{3}$‴ longi. Petala saltem 2‴ longa, alba, orbiculata. Filamenta libera, linea breviora. Stylus stamina æquans. Germen plurigemmulatum. Fructus depressus, demum 2‴ latus.

Astartea ambigua.

Glabra, *foliis oblongo- v. lanceolato-linearibus subcanaliculatis* in basin sensim angustatis brevissime petiolatis, pedicellis axillaribus solitariis pedunculo multoties longioribus folio subæquilongis basi minutim bibracteolatis, calycis lobis semiorbiculatis, *staminibus* 16–20 *brevibus irregulariter inferne in annulum confluentibus*, stylo perbrevi.

In montibus East Mount Barren et Phillips Range. Mx.

Frutex 3–4′, aromaticus. Folia crassa, 2–3‴ longa, superne sæpe lineam lata. Bracteolæ circiter $\frac{1}{2}$‴ longæ, semilanceolato-cymbiformes. Calyx florifer hemisphæricus, vix ultra lineam longus. Petala alba, orbicularia, circiter 2‴ longa. Stamina 1‴ breviora, vix aut irregulariter in phalanges segregata. Antheræ loculi connectivo incrassato glandula minuta terminato introrsum adnati, ovati, longitudinaliter dehiscentes. Gemmulæ in loculis plures. Fructus deest.

Eucalyptus erythrocalyx.

Oldf. et Muell.

Fruticosa, foliis alternis coriaceis ovato-lanceolatis acutatis vel acuminatis imperforatis subtilissime et patentim penniveniis longiuscule petiolatis, vena peripherica a margine parum remota, *pedunculo crassissimo tereti denique reflexo* pedicellis subæquilongo v. longiore subtrifloro, *calycibus maximis læte rubicundis*, tubo pæne semiovato quadrangulari in pedicellos sensim desinente longitudinem operculi fere semiovato-hemisphærici breviter acuminati parum excedente, antheris ovato-cordatis, fructibus permagnis hemisphærico-turbinatis leniter quadricostatis, vertice e margine concavo adscendente orificium capsulæ 4–6 locularis late cingente, valvis inclusis convexis apicem fructus vix attingentibus, seminibus apteris.

In campis arenosis inter portum Gregory et flumen Murchison. Oldfield.

Frutex 4–6′ altus. Rami teretes. Ramuli compresso-tetragoni. Folia nitidula, concoloria, $1\frac{1}{2}$–3″ longa, $\frac{3}{4}$–1″ lata, petiolo $\frac{1}{2}$–1″ metiente prædita. Pedunculi primum circiter 1″ demum usque ad 3″ longi. Pedicelli 1–$1\frac{1}{2}$″ longi, ætate crassimi. Alabastra in unico tantum specimine visa $1\frac{1}{2}$–$1\frac{3}{4}$″ metientia, secundum clar. detectorem perfecte et insigniter rubra, exsiccatione leviter rugata. Stamina innumera. Antheræ flavescentes. Fructus pæne 2″ lati, circum verticem acute marginati. Valvæ lividæ ante expansionem convexum capsulæ verticem formantes. Semina sterilia alia $2\frac{1}{2}$–4‴ longa, clavato-filiformia, angulata; alia latiora, interdum latissima, quoad formam variabilia, 1–2‴ longa, angulata; embryonata nondum visa.

Species nobilis, tam magnitudine quam forma calycis et capsulæ E. macrocarpam simulans, diversa autem dispositione florum et natura foliorum.

Eucalyptus erythrocorys.

Eudesmia erythrocorys, F. M. coll.

Fruticosa, *foliis oppositis* crasso-coriaceis longe angusteque lanceolatis subfalcatis v. leniter curvatis imperforatis crebre patentimque penniveniis longe petiolatis, vena peripherica a margine remotiuscula, pedunculis crassis compressis fere trifloris, calycibus magnis subsessilibus, *tubo calycis obpyramidato-tetragono plicato-costato ad angulos dente brevi apiculato longitudinem operculi coccinei* depressi in vertice quadricostati ad angulos turgentis rugatique *aliquoties excedente, fructibus maximis latissime compa-nulatis*, vertice convexo ante marginis sinus levissimos profunde impresso orificium capsulæ quadrilocularis latissime cingente, *valvis rubris* ætate convergentibus infra fructus verticem sitis, seminibus apteris.

Ad flumen Murchison et sinum squalorum versus in planitibus petræis. A. Oldfield.

Frutex 8–10′ "Illyarie" nativis nuncupatus, quibus ornandi gratia adhibitus. Rami teretiusculi. Ramuli compresso-tetragoni, robusti. Folia concoloria, nitida, $3\frac{1}{2}$–7″ longa, inferne $\frac{2}{3}$–1″ lata, basi parum apice valde acutata; venæ prominulæ. Pedunculi circiter unciales. Alabastra uncialia v. paulo breviora, in basin pedicellorum contracta. Calycis tubus sordide virens, in quovis latere bicostatus, unde plicatulus. Operculum longitudine sua duplo latius, ex inventoris observationem cinnabrinum, colorem rubrum exsiccatione insigniter retinens, umbone parvo nunc præditus nunc orbatus. Filamenta innumera, adnotante collectore purpurea, in suppetentibus siccis speciminibus statu juniore flavo-viridia semipollice breviora. Phalanges 4 confluentes; ungues

præcrassæ, semiorbiculares, lateribus tubi respondentes. Antheræ subovatæ, in dorsi apice glandulam conspicuam gerentes. Pollen aureum. Fructus circiter $1\frac{1}{2}''$ longi et lati, 12-costati, costis apice ternatim confluentibus; vertex latitudine orificii, undulatus, lævis. Vertex capsulæ propriæ planiusculus, valvis contractione acuminatis. Semina $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}'''$ longa; sterilia alia angulato-clavata, alia dimidiato-renata v. semirotunda v. deltoidea, semper complanata; embryonigera mihi nondum visa.

Species inter magnificas generis pertinens, jam Drummondio cognita videtur (conf. Hook. Kew. Misc. v. 121). Flores haud habui bene evolutos; si stamina, observante Drummondio certe in fasciculos quaternos collecta sint, tunc species Eudesmiæ erit adnumeranda. Inter Eucalyptos æmulat ob alabastri formam E. Globulo, quæ etiam in tractu humido litorali Australiæ austro-occidentalis caput Leeuwin versus provenire videtur, quantum e speciminibus collectionis nostræ carpologicæ dejudicare licet.

Eucalyptus tetraptera.

Turcz. Bullet. Mosc. xxii. 22. (Sect. Leiophloiæ.)

Fruticosa, ramulis robustis teretiusculis, foliis alternis præcrasse coriaceis longe petiolatis oblongo-lanceolatis acuminatis parum curvatis imperforatis nitentibus concoloribus subtilissime patentim venosis, vena peripherica a margine remotiuscula, *floribus axillaribus solitariis maximis nutantibus, pedunculo recurvo complanato latissimo* longitudinem tubi calycis vix semiæquante ejus basi latiore, pedicellis nullis, calycis tubo obpyramidato-campanulato tetraptero ceteroquin lævi latitudinem operculi pyramidato-conici tetragonii conspicue excedente ejus longitudinem dimidio superante ad angulorum apicem in dentem obtusum incurvum producto, filamentis roseis, antheris ovalibus glandula atropurpurea terminatis, *fructibus magnis companulato-tetragonis acutangulis* quadriloculatis vertice concavis, valvis inclusis, seminibus apteris.

Ad flumen Fitzgerald River. Maxw.

Species pulcherrima, altitudinem 10′ raro excedens. Cortex lævis, in laminis tenuibus secedens. Folia 3–5″ longa, 1–$1\frac{1}{2}''$ lata. Pedunculi obcordato-quadrati, 7–10‴ lati. Calyx pæne biuncialis, e viridi rufescens. Operculum rugosum. Filamenta dilutius coccinea, 5–8‴ longa. Antheræ vix $\frac{2}{3}'''$ longæ, potius purpurascentes quam flavescentes. Stylus fere semuncialis, ob profundiorem insertionem staminibus superatus. Fructus $1\frac{1}{2}''$ circiter longi et 1″ lati, lateribus non costati. Orificium amplum. Valvæ satis profunde inclusæ. Semina sterilia e spadiceo atra, $\frac{2}{3}$–2‴ longa, nunc magis ovata, nunc magis clavata, nunc magis filiformia, semper angulata; fertilia saltem $1\frac{1}{2}'''$ longa, tantum corrugato statu visa.

Eucalyptus eudesmoides.

Eudesmia eucalyptoides, F. M. coll.

Virens, foliis alternis oppositis v. suboppositis ovato- v. angusto-lanceolatis acutis v. acuminatis leviter curvatis rarius subfalcatis patentim et prominenter penniveniis pellucide punctatis, umbellis subtrifloris, pedunculis pedicellisque calyce brevioribus raro ei æquilongis, alabastris obovatis indistincte tetragonis, tubo ovato-campanulato longitudinem operculi hemisphærici bis terve excedente, *phalangum unque crassiusculo semiorbiculari punctato, fructibus ovato-campanulatis vix angulatis* 3–4-loculatis, vertice capsulæ plano, valvis prope marginem fructus insertis, seminibus fertilibus ala præangusta cinctis.

In planitiebus arenosis et collibus calcariis secus flumen Murchison, saltem monte Curious tenus, sicut sinum squalorum versus. Walcott et Oldfield.

Frutex altitudine 4–12′ varians, "Mallalie" autochthonibus nuncupatus. Rami teretiusculi. Ramuli compresso-tetragoni. Folia pleraque $\frac{1}{2}$–4″ longa, $\frac{1}{4}$–1″ lata, breviuscule nonnumquam longe petiolata, tenui-coriacea, ætate imperforata, marginata, pallide viridia, nunquam pruinosa; vena eorum peripherica a margine remotiuscula. Pedunculi primum circiter 2‴ longi, demum non raro longiores, ut pedicelli plus minusve angulati. Operculum suturis quatuor levissimis sæpe vix distinguendis percursum. Tubus calycis florentis 2–3‴ longus, obliterate denticulatus. Phalanges angulis calycis alternæ, basi semiorbiculari contracta dentem incurvum relinquentes. Filamenta albida nisi ochroleuca, basi rosea, longiora $2\frac{1}{2}$‴ longa. Antheræ pallidæ, subovatæ. Stylus vix linea longior. Fructus indurati, $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}$″ longi, ore nunc conspicue nunc nullo modo contracti, rugulosi. Semina sterilia fusca, linea breviora, angulata; fertilia nigrescentia, $1\frac{1}{3}$–2‴ longa, rhombeo-subovata, acute angulata, præanguste et tenerrime secus marginem alata.

Genus Eudesmiæ, si ejus staminum dispositionem excipias, nulla nota ab Eucalypto secernendum.

Eucalyptus calophylla.

R. Br. in Journ. Roy. Geogr. Soc. London, 1830–1831, 19. Schauer in Lehm. pl. Preiss. i. 131. *E. splachnocarpa*, Hook. Bot. Mag. t. 4036. (Sect. Pachyphloïæ.)

Arborea, foliis longe petiolatis alternis lato- rarius lanceolato-ovatis acuminatis tenui-coriaceis patentissime crebreque penniveniis pellucide punctatis arcte reticulari-venulosis subtus paulo pallidioribus et opacis, *vena peripherica margini incrassato contigua*, umbellis terminalibus paniculatis et axillaribus solitariis 4–6 floris, pedicellis quadrangulis calyci subæquilongis pedunculo paulo brevioribus v. eum æquantibus, *alabastris pyriformibus, calycis*

operculo brevissimo valde depresso subhemisphærico apiculato tubi diametrum semiæquante, tubo subcampanulato infra medium contracto basi turgidulo, antheris oblongo-ovatis versatilibus, *fructibus maximis urceolato-ovatis exangulatis* 3–4-locularibus, valvis brevibus profunde inclusis deflexis, *seminibus fertilibus maximis apteris dorso acutis.*

In regionibus maxime austro-occidentalibus sterilioribus sæpe petræis Novæ Hollandiæ usque ad montem Laseur frequens; portum Gregory versus rara. A. Oldfield.

Arbor mediocris v. magna, umbrosa, resiniflua, suis locis "Red-gum-tree" nuncupata. Truncus in locis prosperis altitudinem 80′ et diametrum 10′ attinens. Cortex rimoso-rugosus, secundum observationem cl. Oldfieldii in frustulis irregularibus secedens. Ramuli juniores compresso-tetragoni. Folia 2–5″ longa, 1½–2″ lata, margine angustissimo recurvata, repandula. Pedunculi compressi. Tubus alabastri evoluti circiter 4‴ longus, rugulosus, post florescentiam turbinato-expansus, basi ob germinis profundam insertionem magis minusve turgens. Operculum 2–3‴ latum, fuscescens, post anthesin aliquamdiu unico lateris puncto retentum. Filamenta ochroleuca, longiora semuncialia. Antheræ saltem ½‴ longæ, glandula conspicua infra apicem dorsi præditæ. Stylus staminibus superatus. Fructus 1½–2‴ longus, nunc sensim in orificium semunciam latum contractus, nunc superne in collum longiorem v. breviorem angustatus, inferne turgens, 1″ et ultra latus, orificium e margine acutiuscula deorsum in capsulæ verticem contractum. Valvæ tantum 1½–2‴ longæ. Semina sterilia fusca, 1–3‴ longa, angulata, alia tenui- v. clavato-filiformia, alia deformia; fertilia sæpissime semuncialia, nitenti-atra, pæne lævia, fere dimidiato-ovata, compresso-trigona, dorso acuta, hilo ventrali.

Arbor pulchra, multo magis umbrosa quam eæ aliarum plurium Eucalyptorum, igitur culturæ secus vias per nostras colonias digna.

Eucalyptus gomphocephala.

Cand. prodr. iii. 220. Mémoire sur la famille des Myrtacées, t. 11. (Sect. Leiophloiæ.)

Arborea, foliis alternis longiuscule petiolatis falcato- v. angusto-lanceolatis imperforatis subtiliter patentimque penniveniis concoloribus, vena peripherica margini approximata, umbellis axillaribus 3–6 floris, *pedunculis latis valde compressis* verruculosis calycis tubo æquilongis v. longioribus, pedicellis nullis, *operculo hemisphærico v. semiovato latitudinem tubi obconici conspicue excedente* obscure radiato-striato, antheris ovatis, *fructibus campanulatis* majusculis costulatis quadriloculatis margine verticis convexis, capsulæ vertice exserto subpyramidato, seminibus apteris.

In vallibus secundum flumina cygnorum, Vasse et Arrowsmith River, A. Oldfield; inde secus tractum litoralem capite Leeuwin tenus. A. Gregory.

Arbor minor v. mediocris, aboriginibus "Tooart" vocata. Cortex cinereus, lævis, quandoque nigrescens. Ramuli angulosi, mox teretiusculi. Folia tenui-coriacea, semipedalia v. breviora, inferne $\frac{2}{3}$–$1\frac{1}{3}''$ lata, modo falcato, modo leniter curvata. Pedunculi $\frac{1}{2}$–$1''$ longi, angusto-cuneati, superne circiter $3'''$ lati. Operculum 4–$5'''$ diametro metiens, 3–$4'''$ longum, vix nisi breviter apiculatum. Antheræ albidæ. Fructus uncia paulo breviores. Capsulæ pars exserta $2'''$ longa, valvis semilanceolato-deltoideis. Semina sterilia atro-fusca, $\frac{1}{2}$–$1'''$ longa, rhomboidea vel subquadrata; fertilia fere sesquilinearia, oblique ovata, compressa.

De hujus aliarumque Eucalyptorum distributione geographica conf. Transact. Phil. Inst. Vict. ii., tabul. lithograph.

Eucalyptus Oldfieldii.

(Sect. Leiophloiæ.)

Fruticosa, foliis alternis longiuscule petiolatis ovato- v. angusto-lanceolatis crasso-coriaceis concoloribus leniter curvatis imperforatis subtilissime patentimque penniveniis, vena peripherica a margine remotiuscula, umbellis breviter pedunculatis bi- v. trifloris, calycis subsessilis operculo fere hemisphærico in brevem umbonem attenuato longitudinem tubi semiglobosi paulo excedente, *fructus vertice valde convexo capsulam latissime marginante*, tubo exangulato hemisphærico, capsulæ tri- v. quadrilocularis vertice pyramidato exserto, seminibus apteris.

In planitiebus arenosis ad flumen Murchison. A. Oldfield.

Frutex 4–5′. Cortex rufus, laminato-solutus. Ramuli angulati, demum teretiusculi. Folia nitentia, $2\frac{1}{2}$–$5''$ longa, inferne $\frac{1}{2}$–$1\frac{1}{2}''$ lata. Pedunculi sesqui- usque pauci-lineares, apice ampliati. Alabastra 4–$5'''$ longa, rugulosa. Fructus $\frac{1}{2}''$ vix latior; tubus hemisphæricus; margo $2'''$ latus. Valvæ sive pars capsulæ propriæ exserta $1\frac{1}{2}'''$ longæ, pæne deltoideæ. Semina sterilia $\frac{2}{3}$–$1'''$ longa; fertilia lineam paulo excedentia, hæc nigrescentia.

Eucalyptus pleurocarpa.

Schauer in Lehm. pl. Preiss. i. 132. (Sect. Leiophloiæ.)

Fruticosa, *pulverulento-albicans*, *ramulis robustis alato-tetragonis*, *foliis oppositis v. subopppositis*, crasso-coriaceis lanceolato- v. lato-ovatis longiuscule lateque petiolatis prominenter penniveniis reticulari-venulosis, vena peripherica a margine remota, pedunculis axillaribus solitariis latis compressis subtrifloris nunc obliteratis, pedicellis calycis tubo brevioribus acutangulis, fructibus truncato-ovatis vel subglobosis majusculis quadricostatis quadriloculatis, costis duabus late in pedicellum decurrentibus, valvis breviusculis inclusis, *seminibus fertilibus majusculis secus angulos acutos anguste alatis.*

Ad lacum Longe. Oldfield. Ad promontorium Riche. Preiss.

Frutex paucipedalis vel altior, interdum elatus. Ramuli decurru petiolorum anguste tetrapteri, cum aliis partibus plantæ præsertim juvenilibus pruinosi, quo modo species e longinquo proles juniores Eucalypti Globuli aut si mavis Eudesmiam tetragonam simulat. Petioli $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}''$ longi. Folia 2–4″ longa, $\frac{3}{4}$–2″ lata, multo conspicius quam in plerisque congeneribus venosa, venis primariis patentibus. Pedicelli compresso-tetragoni, sæpius cuneati, longitudine 2–6‴ variantes. Flores etiam in nostra collectione latent. Fructus maturi circiter $\frac{3}{4}''$ longi et fere totidem lati, apice plus minus contracti; margo orificium cingens latiusculus, sæpe decurvus. Valvæ haud procul a vertice initium ducentes. Semina sterilia $\frac{1}{2}$–1‴ longa, angulata, variabili forma ludentia, frequentius satis lata; fertilia trigona triptera, alis angustis additis 2–3‴ longa.

Eucalyptus Preissiana.

Schauer in Lehm. pl. Preiss. i. 131. Hook. Bot. Mag. 4266. (Sect. Leiophloiæ.)

Fructicosa, ramulis compresso-tetragonis, *foliis subopppositis vel per paria alternatim approximatis* ovatis v. lanceolato-obtusis longe in apicem varie acuminatum protractis crasso-coriaceis fere concoloribus prominenter penniveniis, vena perpherica a margine remota, pedunculis ancipitibus umbellato-subtrifloris, calycis tubo in pedicellum breviorem attenuato exangulato obconico-cyathomorpho, *filamentis flavis*, antheris cordato-ovatis, fructibus majusculis semiovatis v. truncato-subglobosis ecostatis, margine verticis leviter convexo latitudine diametrum orificii pæne æquante, vertice capsulæ 4–5-locularis planiusculo incluso, *seminibus apteris, fertilibus sterilia magnitudine subæquantibus.*

Ad promontorium Cape Riche et secundum flumen Salt River. Mx.

Frutex altitudinem 15′ attinens. Folia longius breviusve petiolata, nitentia, ex ovata forma fere in lanceolatam vergentia, 3–5″ longa, 1–2″ lata, nimis crassa, ut glandulæ oleosæ pelluceant, margine incrassata et tenuiter recurvula. Pedunculi axillares, solitarii, sæpe unciales, 2‴ lati. Opercula etiam in nostris speciminibus deficiunt. Calycis tubus circiter 4‴ longus, in pedicellum angulatum validum desinens. Filamenta flavida, longiora circiter $\frac{2}{3}''$ longa. Antheræ aureæ $\frac{1}{3}'''$ metientes. Stylus staminibus superatus. Fructus 8–10‴ longi. Valvæ perbreves, haud procul vertice sitæ. Semina etiam sterilia non tenuia, pleraque fere dimidiato-rotunda, lineam paulo excedentia, angulata; fertilia nigrescentia, sterilia fusca. Hilum basale.

Eucalyptus cornuta.

Labill. Voy. à la recherche de La Pérouse i. 403, t. 20. Nov. Holl. plant. spec. ii. 121. Cand. prodr. iii. 216. Schauer in Lehm. pl. Preiss. i. 127. E. Lehmanni, Preiss. l. c. Symphyomyrtus Lehmanni, Schauer l. c. E. macrocera, Turcz. Bullet. Moscou xx. 2, 20. (Sect. Leiophloiæ.)

Fruticosa, arborescens, foliis alternis modice petiolatis oblongo- v. ovato- v. falcato-lanceolatis v. oblique ellipticis obtusis vel sensim acutatis concoloribus tenuiter patulo-penniveniis, vena peripherica a margine remota, pedunculis longis axillaribus simplicibus v. rarius paniculato-divisis teretiusculis v. compressis, pedicellis nullis v. brevissimis, umbellis capitulisve 3–21 floris, *calycibus tubo dimidio totove conferruminatis v. omnino liberis, operculo subulato-cornuto longitudinem tubi obconico-companulati ecostati pluries excedente,* filamentis flavis styloque prælongis, antheris angusto-ellipsoideis, fructibus liberis v. inferne in capitulum connatis exangulatis ovato-campanulatis tri- v. rarius quadriloculatis, *valvis exsertis pyramidato-conniventibus apice diu cohærentibus e latiori basi subulatis dorso costulatis,* seminibus apteris.

In collibus aridis a capite Riche et tractu montano Stirling's Range, usque ad montem East Mount Barren et flumen Phillips River, per hunc tractum Eudesmiæ tetragonæ comes. Mx.

Frutex altior v. arbuscula, usque ad 20′ alta. Cortex lævis, in stratis tenuibus secedens. Ramuli satis tenues, utplurimum leniter angulati. Folia $1\frac{1}{2}$–4″ longa, ob crassiorem texturam haud v. parce pellucenti-punctata. Pedunculi, si capitulum ferunt, apice in laminam calycibus arcte adnatam ample expansi sunt. Calycis tubus paucilinearis. Operculum 1–2″ longum, teres, exangulatum, leviter curvatum, basi ampliatum. Filamenta rigidula, longiora, sæpe sesquiuncialia. Antheræ circiter 1‴ longæ, versatiles. Fructus nunc omnes alto connati, nunc omnes semi-conferruminati, nunc (rarius quidem) ex parte nunc omnes perfecte liberi; tubus 3–5‴ longus, si liber semiovatus rarius magis hemisphæricus, non costatus; valvæ 3–5‴ longæ, juxta marginem verticis angustum ortæ. Semina sterilia $\frac{1}{3}$–1‴ longa, modo clavata-angulata, modo rhomboidea, sive oblique cubica, fusca; fertilia rhombeo-ovata, angulata, nigrescentia, lineam vix excedentia, hilo ventrali.

Excepta calycum coalitione ne quidem semper perfecta nullas reperi notas, quibus Symphyomyrtus Preissii ab E. cornuta specifice discerni possit; quare ambas hinc combinare conatus sum.

Eucalyptus occidentalis.

Endl. in Hueg. enum. p. 49.

Arborea, foliis alternis longiuscule petiolatis ovato- v. angusto- v. falcato-lanceolatis longe acutatis subtiliter patulo-penniveniis, vena peripherica a margine remota, umbellis axillaribus solitariis 4–6 floris, pedicellis angulosis pedunculo ancipte brevioribus tubo

calycis subæquilongis nonnunquam obliteratis, calycis tubo obconico-campanulato striolato longitudinem operculi cylindraceo-conici parum curvati acutiusculi fere semiæquante, *filamentis flavidis crassiusculis*, antheris ellipsoideis, stylo stamina subæquante, fructibus obovato-campanulatis inferne paucicostatis, *valvis capsulæ quadriloculari semiexsertis subulato-acuminatis liberis*, seminibus parvis apteris.

Ad sinum regis Georgii, lacum Mathildæ, flumen Gordon versus alibique in Nova Hollandia austro-occidentali.

Arbor altitudinem 120′ attingens, sed jam statu juvenili fruticoso florens. Cortex sec. cl. Oldfield rugosus, aliquotenus fibrosus, quare species forsan sectioni Pachyphloiarum adnumeranda, ex adnotatione cujusdam coloni lævigatus. Ramuli juniores angulosi. Folia 2–6″ longa, $\frac{1}{2}$–$1\frac{3}{4}$″ lata, ætate tantum prominenter venosa, crassiuscule coriacea, igitur non pellucide punctata, nisi passim statu juniore. Pedunculi $\frac{1}{2}$–1″ longi, superne sesquilineam lati. Tubus calycis floriferi 3–4‴ longus. Operculum 5–7‴ longum, basi paulo dilatatum, medio fere 2‴ crassum. Filamenta rigidiora, quam in multis aliis speciebus; longiora circiter $\frac{2}{3}$″ longa, ætate fulvescentia. Antheræ pæne $\frac{2}{3}$‴ longæ, dorso glanduloso-incrassatæ. Fructus 4–5‴ longi, margine verticis satis angusto. Valvæ sesquilineares. Semina sterilia pleraque vix $\frac{1}{2}$‴ longa, frequentius rhomboidea quam tenuia; fertilia late angulato-ovata, circiter $\frac{3}{4}$‴ metientia.

Differe videtur ab E. cornuta, habitu alte arboreo, staminibus brevioribus, floribus pedicellatis, valvis liberis profundius insertis. E. microthecam et E. rostratam ad flumen Murchison esse repertas, debemus sedulo Oldfield. Ultimam etiam accepi e Nova Hollandia austro-occidentali, ubi a flumine Blackwood usque ad rivum Salt River extendit, sed nuspiam maris litora approximat. Hæc species depositum alluviale amat.

Eucalyptus floribunda.

Hueg. enum. plant. 49. Schauer in Lehm. pl. Preiss. i. 128. (Sect. Leiophloiæ.)

Arborea, *foliis* longiuscule petiolatis alternis oblongo- v. angusto-lanceolatis longe sensimque acutatis falcatis v. leviter curvatis tenui-coriaceis pellucide punctatis patentim penniveniis *subtus pallidioribus glaucescentibus*, vena peripherica a margine crassiusculo angustissime recurvato remotiuscula, umbellis 5–12-floris, pedicellis calycis tubo longioribus pedunculo compresso brevioribus, *calycis operculo campanulato-conico longitudinem tubi turbinato- v. conico-campanulati triente usque duplo excedente*, antheris subcordatis.

In locis arenosis rupestribusque planitierum et collium Novæ Hollandiæ austro-occidentalis.

Arbor parva. Cortex cinereus, quasi suberosus, lævis. Ramuli graciles, juniores compresso-tetragoni. Folia $2\frac{1}{2}$–5″ longa, inferne $\frac{2}{3}$–$1\frac{1}{3}$″ lata, prominulo et patentim venosa, distincte reticulato-venulosa. Pedunculi et pedicelli satis graciles. Calycis florentis tubus tam in specimine Preissiano sub numero 251 distributo, quam in exemplaribus ad flumen Harvey collectis circiter 2‴ longus. Operculum autem plantæ Oldfieldii 4‴ longum; hoc sicut calycis tubus non costata. Filamenta ochroleuca, longiora 4‴ metientia, stylum paulo superantia. Fructus mihi desunt; observante Schauero subglobo- et truncato-ellipsoidei, majusculi, triloculares; valvæ inclusæ orificium fructus tangentes.

Eucalyptus macrocarpa.

Hook. icon. plant. t. 405–407. Bot. Mag. t. 433. Schauer in Lehm. pl. Preiss. i. 132. Paxt. Magaz. Bot. xv. 29. c. icone.

Fruticosa, cinereo-pulverulenta, ramis tetragonis, *foliis oppositis cordato-ovatis acutis v. acuminatis sessilibus* patentim penniveniis, vena peripherica a margine remota, *floribus maximis axillaribus solitariis* brevissime pedicellatis, operculo semiovato conico-acuminato ecostato longitudinem tubi hemisphærici triente superante, margine verticis fructus adscendente capsulam late cingente, capsulæ 4–5 locularis vertice exserto depresso, valvis deltoideis, seminibus apteris.

In deserto Quangan dicto terræ interioris Novæ Hollandiæ austro-occidentalis. Drummond. Preiss.

Frutex altior, validus, "Morral" aboriginibus vocatus. Folia 3–5″ longa, $1\frac{1}{2}$–$3\frac{1}{2}$″ lata. Flores magnitudine illorum Eucalypti erythrocalycis. Filamenta rubra, passim albida. Antheræ globoso-ovatæ. Fructus tubus hemisphæricus, diametro $1\frac{1}{2}$–2″. Semina sterilia angulata, nunc magis clavata, nunc magis rhomboidea.

Eucalyptus Mahagoni.

(Sect. Pachyphloiæ.)

Arborea, *foliis* alternis modice petiolatis ovato- v. angusto-lanceolatis sensim tenuiter acuminatis curvatis patentim penniveniis *supra nitentibus subtus opacis*, vena peripherica a margine incrassato recurvulo remota, umbellis axillaribus 4–7-floris, pedicellis pedunculo gracili compresso brevioribus calycis tubo longioribus, operculo hemiellipsoideo v. tenui-conico obtuso v. acutiusculo longitudinem tubi calycis duplo excedente, *fructibus ovato-globosis truncatis ecostatis ore contractis* margine verticis planis, capsulæ trilocularis vertice depresso, valvis parum exsertis, seminibus apteris.

Tum in planitiebus humidis, cum in collibus arenosis Australiæ occidentalis occurrens.

Arbor altitudinem 70′ attinens, sed jam fruticis magnitudine florens, ob ligni lævigati et vernicati pulchritudinem et persistentiam Mahagoni colonis nuncupata; lingua aboriginum Australiæ occidentalis fert "Yarra" nomen. Cortex persistens, rugosus, nigrocinereus, satis fibrosus. Folia, ex observatione cl. Oldfield, fere horizontaliter expansa, chartacea v. tenui-coriacea, 2–4″ longa, ½–1½″ lata, subtus pallidiora, glandulis non aut imperfecte pellucentibus punctata. Operculum 3–4 longum. Filamenta ochroleuca. Antheræ ex cl. Oldfield albidæ, subcordatæ. Stylus stamina subæquans. Fructus fere semunciales; valvæ breves, prope verticem ortæ. Semina sterilia pyramidata, subclavata, semiglobosa v. tetraëdra, semper obliqua et angulata, longitudine 1‴ sæpe paulo excedentia, fusca v. nigrita; fertilia scilicet pauca, 1½–3‴ longa, nigrescentia, oblique truncata, angulata, hilo ventrali.

Species non male in definitionem E. hypoleucæ quadrans; si eadem sit, nomen ejus certo mutandum, quum folia etsi subtus pallidiora nunquam alba evadunt.

Eucalyptus concolor.

Schauer in Lehm. pl. Preiss. i. 129. (Sect. Rhytiphloiæ.)

Arborescens, foliis modice petiolatis alternis ovato- v. angusto-lanceolatis leviter curvatis v. falcatis sensim acutatis patentim tenuissime penniveniis imperforatis concoloribus, vena peripherica a margine remota, umbellis capitatis 5–13-floris, pedunculo teretiusculo alabastris subæquilongo, operculo tenui-conico longitudinem tubi calycis obconico-campanulati paulum v. ad duplum excedente, *fructibus parvis hemisphæricis ecostatis triloculatis, vertice plano, valvis semiexsertis*, seminibus apteris.

In collibus calcariis ad urbem Freemantle, prope oppidum Hampden alibique in Nova Hollandia austro-occidentali.

Species modo arbusculam humilem, modo arborem conspicuam sistens. Cortex persistens, nigro-canus, rugulosus. Ramuli angulati, mox teretes. Folia 2–5″ longa, ½–1″ lata, chartacea v. tenui-coriacea. Pedunculi apice in receptaculum parvum dilatati. Operculum circiter 3‴ longum, exangulatum. Flores bene expansi desunt. Filamenta, observante Oldfieldio, sub præflorentia bis terve geniculata. Antheræ ovatæ. Fructus 2–3‴ longi, 3–4‴ lati. Valvæ breves, deltoideæ. Semina sterilia subrhombeo, circ. ½‴ longa, v. clavellam tenuem 1‴ longam formantia; fertilia subovata fere 1‴ longa, nigrescentia, dorso convexa, antice planiuscula, hilo ventrali.

E. oblongæ Cand. (sec. specimen Sieberianum in herbario Sonderiano visum) similis.

Eucalyptus corynocalyx.

F. M. in Linnæa, 1852, 388. Miq. Stirp. Nov. Holl. 39. C. Mueller in Walp. Annal. Bot. Syst. iv. 825. (Sect. Leiophloiæ.)

Fruticosa, *foliis* alternis longiuscule petiolatis longo- rarius ovato-lanceolatis leniter curvatis sensim in apicem acuminatum angustatis tenuiter patulo-penniveniis reticulato-venulosis imperforatis, *subtus pallidioribus*, vena peripherica a margine remotiuscula, umbellis solitariis axillaribus demum lateralibus 5–16-floris, pedunculo teretiusculo pedicellis longiore, *alabastris pyriformi-clavatis*, tubo calycis tenui-campanulato longitudinem operculi depresso-hemisphærici mutici v. apiculati ter pluriesve excedente, antheris minutis subovatis, *fructibus ellipsoideo-urceolaribus* triloculatis demum rugoso-costatis, margine verticis tenui, valvis inclusis, seminibus apteris.

In deserto circum montes Marble Range inter sinus Spencer's Gulf et Coffin Bay. Wilhelmi.

Frutex altior, venustus. Ramuli graciles, angulati, mox teretes, flexiles. Folia pleraque $2\frac{1}{2}$–4″ longa, $\frac{2}{3}$–$1\frac{1}{3}$″ lata, juniora interdum latiora, supra in statu saltem recente saturatius viridia, subtus pallidius virentia, utrinque nitentia. Pedunculi $\frac{1}{2}$–1″ longi. Pedicelli floriferi usque ad 2‴ longi, fructiferi nonnunquam ad 6‴ metientes. Alabastra evoluta 4–6‴ longa, sæpe pallida. Operculum circiter 2‴ latum. Calycis tubus saltem exsiccatione rugoso-striatus. Filamenta longiora vix $\frac{1}{4}$″ superantia. Antheræ circiter $\frac{1}{4}$‴ longæ, superne latiores, fere truncatæ. Stylus e calyce vix semiexsertus, circa 2‴ longus. Fructus 5–7‴ longi, 3–4‴ crassi, in os sesquilineare contracti, exsiccatione et demum induratione sulcati. Semina sterilia $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}$‴ longa, plus minus rhombea v. tetraëdra ; fertilia pauca, ovata, vix 1‴ longiora, in speciminibus suppetentibus sordide et pallide fusca.

E. urnigeræ, speciei alpicolæ, quæ nunc fruticem verum, nunc arborem ad 50 altam format et sectioni Leiophloiæ pertinet, quoad characteres florales simillima, foliis imperforatis paulo discoloribus, calycis tubo non distincte rugoso-striato et forsan fructus notis serius exponendis diversa. Illustris Miquel speciem E. obtusifloræ comparat. Species etiam E. gomphocephalam paulo imitat.

Eucalyptus robusta.

Smith in Transact. Linn. Soc. iii. 283. Spec. Nov. Holl. 39, t. 13. E. rostrata, Cav. icon. iv. t. 342. (Sect. Rhytiphloiæ.)

Arborea, ramulis robustis primum angulatis, *foliis magnis* alternis longiuscule petiolatis ovato-lanceolatis longe acutatis præpatentim penniveniis vix perforatis *subtus pallidioribus*, vena peripherica margini incrassato recurvulo approximata, umbellis axillaribus terminalibusque solitariis 5–11 floris, pedunculo crasso ancipite pedicellis duplo pluriesve longiore, *tubo calycis pallidi companulato-*

obconico operculum e basi semiovata subulato-acuminatum pæne æquante ejusdem basi paulo angustiore in pedicellum crassum breviorem angulatum desinente, antheris majusculis subovatis, stylo stamina parum excedente, fructibus truncato-ovatis exangulatis 3–4 locularibus, margine verticis angusto, valvis omnino inclusis, seminibus apteris.

In Nova Austro-Cambria, e. g. ad portum Jacksonii.

Arbor mediocris, secundum adnotationem clariss. Woolls nominis "Swamp Mahagony" particeps, propter ligni pallorem interdum autem "White Mahagony" dicta. Cortex, me ipso observante, squalide canus, rimosus et rugosus. Folia tenui-coriacea, ut plurimum 4–7″ longa, 1–2½″ lata, utrinque nitore superfusa, supra saturatius quam subtus virentia, igitur forsan directione potius horizontali quam verticali expansa. Pedunculi ⅔–1½″ longi, superne 1½–2‴ lati. Calycis tubus circiter 4‴ longus. Diameter baseos operculi circiter 3‴. Stamina longiora semuncialia, in sicco saltem statu flavescentia. Antheræ ⅓–½‴ longæ. Fructus circiter semunciam longi, in orificium lenissime contracti, pedicello parum v. aliquoties breviore prædíti. Semina fusca, angulata; sterilia ½–1‴ longa, subclavata v. fere rhomboidea; fertilia trapezoidea vel rhombeo-ovata, 1‴ vix excedentia.

Specimina nostra cum florigeris herbarii Sieberi exacte congruunt.

Eucalyptus gigantea.

J. Hook. in Lond. Journ. of Bot. vi. 479. Flora Tasmanica, i. 136, t. xxviii. E. fabrorum, Schl. Linnæa, xx. 656. E. nervosa, F. M. in Miq. Stirp. Nov. Holl. 43. E. falcifolia, Miq. l. c. 40. (Sect. Pachyphloiæ.)

Altissima, foliis alternis modice petiolatis nitentibus ovato- v. angusto-lanceolatis imperforatis concoloribus in acumen sensim angustatis basi valde obliquis, *veniis primariis prominulis angulo valde acuta divergentibus*, peripherica a margine remota, umbellis axillaribus et terminalibus solitariis v. subpaniculatis pluri- v. multifloris, pedicellis crassis in calycis tubum transientibus pedunculo compresso brevioribus v. obliteratis, alabastris clavato-ovatis, *calycis exangulati rugulosi et subverruculosi operculo depresso-hemisphærico* apiculato longitudinem tubi late obconici v. semiovati vix semiæquante, filamentis breviusculis, antheris majusculis cordato-reniformibus, fructibus truncato-ovatis v. semiovatis rarius pæne hæmisphæricis 3–5-loculatis ecostatis, margine verticis tenui, valvis infra verticem insertis inclusis, seminibus apteris, fertilibus sterilia vix magnitudine excedentibus.

In collibus montibusque sterilibus coloniarum Victoriæ, South Australia et Tasmaniæ illas silvas ingentes "Stringybark forests" vocatas constituens.

Arbor nonnunquam altitudinem colosseam attinens, etsi sæpius 150′ non excedens, jam statu fruticoso interdum florens. Truncus

stricte erectus. Lignum admodum fissile. Cortex fibrosus, tam truncum quam ramos tegens, non spontaneo separans, extus sordide cinereus, rugulosus, sed igne sæpe nigritus, intus fulvus, insigniter fibrosus, nec tamen tenax. Folia crassius tenuiusve coriacea, 2–7″ longa, $\frac{2}{3}$–$1\frac{1}{2}$ raro ad $2\frac{1}{2}$″ lata, circum marginem nervo incrassata; venæ minus patentes, quam in multis aliis speciebus; venulæ reticulari-conjunctæ. Umbellæ passim ad paucos flores depauperatæ. Pedunculi $\frac{1}{3}$–1″ longi. Pedicelli $1\frac{1}{2}$–3‴ raro 4‴ longi, plus minus angulati, sursum dilatati, rarius obliterati. Operculum circiter 1‴ altum, 2‴ latum, coriaceum, apiculo majusculo minimove terminatum. Stamina etiam exteriora $2\frac{1}{2}$‴ vix superantia, ochroleuca, flavescentia. Antheræ albidæ, $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}$‴ latæ; loculi subovati, inferne divergentes, rima obliqua longitudinaliter intus dehiscentes. Stylus pæne 2‴ longus, scilicet deciduus. Fructus 3–4‴ longi, juniores nonnunquam campanulati v. turbinati, maturi 3–5‴ longi, ore acute marginati, margine autem interdum ætate dilatato. Valvæ breves. Semina sterilia e fulvo fuscescentia, irregulariter clavata, rhombea, trapezoidea, tetraëdra v. truncato-ovata, semper angulosa; fertilia nitida, fere lævia, circiter 1‴ longa.

E. obliqua, secundum celeb. Smith in calidioribus Australiæ regionibus vigens, fide iconis bonæ Lamarckio (Encyl. meth. t. 422) traditæ eximie in E. giganteam quadrat. Quum autem specimina ejus authentica hinc comparare nequeo, species seorsim relinquo. Sed L'Heritier de Brutelle forsan E. obliquæ iconem juxta specimen herbarii Banksii ad sinum Adventure Bay, Tasmaniæ, collectum delineavit. Arboris ad E. giganteam habitu cortice ligno foliis floribusque arcte accedentis specimina compluria e variis Novæ Austro-Cambriæ regionibus accepi, quæ ad E. giganteam trahi possint, nisi fructus margine latiore, quo vertex distinctus formatur, valvisque exsertis insignes essent et in sphæricam formam transiant. Num hæc arbor "Stringybark tree" in colonia Nova Austro-Cambria vocata, tanquam propriam speciem, num solummodo varietatem considerandam esse, futuræ observationes docebunt. Fructus nonnunquam in capitulum ita arcte concreti occurrunt, ac in illa E. cornutæ forma, quæ olim Symphyomyrti nomine solutabatur.

Eucalytus stellulata.

Sieber in Cand. prodr. iii. 217. (Sect. Rhytiphloiæ.)

Arborea, minor, *foliis* alternis breviuscule petiolatis ovato- v. angusto-lanceolatis acuminatis imperfecte pellucide punctatis *vix obliquis longitudinaliter venis percursis*, umbellis capitatis 8–14-floris breviter pedunculatis, *floribus minutis*, operculo conico acuto longitudinem tubi semiovati fere æquante, fructibus parvis semiovatis v. truncato-subglobosis exangulatis triloculatis, margine oris crassiusculo, valvis inclusis, seminibus apteris.

In Nova Austro-Cambria. Sieber. In collibus lapidosis lacum Omeo versus.

Arbor 20–30′ alta. Cortex trunci rimosus, tarde in stratis secedens. Rami læves, fuscescentes. Ramuli graciles, parum angulati. Folia tenui-coriacea, valde graveolentia, $1\frac{1}{2}$–$3\frac{1}{2}''$ longa, $\frac{1}{2}$–$1\frac{1}{2}''$ lata, concoloria, nitida, longitudinaliter 3–7-nervia, nervis nempe lateralibus non pinnatim dispositis, sed mediano et marginali fere parallelis. Alabastra circiter $2\frac{1}{2}'''$ longa, subvernicoso-nitentia. Fructus circiter $2'''$ longi et lati, subsessiles. Semina angulata, sterilia $1'''$ sæpe breviora; fertilia e fusco nigrescentia, sæpe truncato-ovata, vix $1'''$ metientia.

Specimina in Australia felice collecta cum authenticis Sieberianis in herbario Sonderiano servatis omnino conveniunt. Minuties florum hanc plantam ad E. micrantham approximat. Aliis notis in viciniam E. acervulæ et E. amygdalinæ pertinet.

Eucalyptus corymbosa.

Smith, Bot. of New Holl. 43. Transact. Linn. Soc. iii. 287. Cand. prodr. iii. 220. (Sect. Rhytiphloiæ.)

Arborea, *foliis* alternis modice petiolatis subchartaceis angusto- v. ovato-lanceolatis leviter v. falcato curvatis in apicem longe acutatis imperforatis *subtilissime præpatentim et creberrime penniveniis subtus pallidioribus*, vena peripherica margini fere contigua, umbellis terminalibus paniculatis 3–6-floris rarius axillaribus solitariis, pedicellis gracilibus tubo calycis æquilongis v. bis terve longioribus angulosis, alabastris clavato-obovatis, *calycis tubo* conico-campanulato longitudinem operculi depresso-hemisphærici breviter acuminati pluries excedente *latitudinem operculi conspicue superante*, filamentis luteolis, antheris subovatis, *fructibus majusculis ovato-urceolaribus* exangulatis 3–4-locularibus, margine orificii tenui, valvis profunde immersis, seminibus fertilibus magnis fuscis imperfecte alatis.

In planitiebus sterilioribus Novæ Cambriæ australis, e. g. circum urbem Sydney, ad Parramatta.

Arbor mediocris v. minor, nomine coloniali "Bloodwood" cognita, ut Woollsio indicabatur. Cortex in trunco ramisque persistens, canus, rimulosus. Ramuli excepto apice teretes. Folia pleraque inter $2\frac{1}{2}$ et $5''$ longa, $\frac{1}{2}$–$1\frac{1}{4}''$ lata. Paniculæ fere corymbosæ, ex umbellis paucis v. pluribus constantes. Pedunculi secundarii pedicellis fere æquilongi v. longiores, iisdem paulo crassiores, plus minusve angulati. Pedicelli $\frac{2}{3}$–$1''$ longi. Calycis tubus circiter $4'''$ longus, ecostatus, margine leviter recurvus. Operculum circiter $2'''$ latum. Filamenta paulo rigidula, longiora semuncialia. Antheræ $\frac{1}{4}$–$\frac{1}{3}'''$ longæ, versatiles. Stylus staminibus superatus. Fructus 7–$11'''$ longi, collo conspicue contracti, ore leviter v. insigniter recurvi. Semina sterilia dilute fusca, magnitudine formaque valde

variabilia ; fertilia sordide fusca, 3–4‴ longa, saltem 1‴ lata, opaca, dimidiato-ovata, trigona, dorso acuta, altera extremitate breviter alata. Hilum in media lateris interioris leviter excavati situm.

Eucalyptus maculata.

Hook. icon. plant. 619. (Sect. Leiophloiæ.)

Arborea, ramulis crassiusculis subteretibus, *foliis* modice petiolatis alternis falcato-lanceolatis *creberrime prominenter penniveniis* pellucide punctatis concoloribus, vena peripherica margini valde approximata, umbellis subtrifloris paniculatis, pedicellis pedunculo calyceque brevioribus angulatis, alabastris late pyriformibus, calycis tubo operculi longitudinem ter excedente, *operculo duplice*, exteriore hemisphærico breviter acuminato coriaceo, interiore depresso-hemisphærico nitente lævi, filamentis ochroleucis, *antheris majusculis subclavatis versatilibus*, stylo staminibus superato.

In variis locis Novæ Austro-Cambriæ.

Arbor excelsa. Cortex lævis, in frustris laminatis secedens, truncum maculatum relinquens, unde arbor nomine "Spotted Gum" suis locis nota est. Folia 3–5″ longa, $\frac{1}{2}$–$\frac{3}{4}$″ lata, in statu saltem sicco opaca, longe acutata, tenui-coriacea. Paniculæ ex umbellis paucis constantes, axillares et terminales. Calycis tubus subcampanulatus, 3–4‴ longus. Utrumque operculum circiter 3‴ latum ; exterius supra opacum, subtus lucidum ; interius vix apiculatum, fuscescens, radiato-venosum, submembranaceum. Filamenta longiora vix 4‴ longa. Antheræ fere $\frac{2}{3}$‴ metientes, obtusissimæ, connectivo glandulaceo turgentes. Fructus non vidi.

Eucalyptus citriodora.

Hook. in Mitch. Trop. Austr. 235. F. M. in Proceed. Linn. Soc. iii. 92. (Sect. Leiophloiæ.)

Arborea, *foliis* alternis modice petiolatis *ovato- v. falcato-lanceolatis chartaceis* pellucide punctatis prominulo crebreque penniveniis concoloribus, vena peripherica a margine paulo remota, umbellis terminalibus et axillaribus mox lateralibus simpliciter paniculatis bi-trifloris, pedunculis angulatis, alabastris subovatis, operculo hemisphærico apiculato tubi semiovati longitudinem fere semiæquante, *fructibus urceolari-ovatis* opacis exangulatis triloculatis, margine verticis tenui, *valvis brevibus profunde inclusis*, seminibus apteris.

Ad rivum Balmy Creek. Sir Th. Mitchell. Ad sinum Wide Bay. C. Moore.

Arbor, jam statu fruticoso florens. Cortex cinereus, lævis. Ramuli angulosi. *Folia odore citreo insignia*, 3–8″ longa, $\frac{2}{3}$–$1\frac{1}{2}$″ lata, saturatius quam ea plurium congenerum viridia. Paniculæ foliis sæpe breviores, ex umbellis paucis constantes. Bracteæ et

bracteolæ ut in congeneribus valde caducæ; illæ ad basin pedunculorum specialium solitariæ, ovato-cymbiformes, circiter $1\frac{1}{2}'''$ longæ; hæ vix $1'''$ longæ, ovatæ, acutæ. Calycis tubus semiovatus, ecostatus, pedicello vix v. duplo longior, circiter $3'''$ metiens. Filamenta albida, semuncialia vel breviora. Fructus 5–$6'''$ longi, circiter $4'''$ lati, breviter in os $2'''$ latum contracti. Semina sterilia dilute fusca, difformia, sæpe $1'''$ breviora; fertilia atra, circiter $1\frac{1}{2}'''$ longa, subovata, varie angulata. Hilum laterale.

Specimina originalia collectionis Mitchellianæ mihi pro comparatione adhuc deerant.

Eucalyptus goniocalyx.

F. M. in Miq. stirp. Nov. Holl. 38. (Sect. Leiophloiæ.)

Arborea, *foliis elongatis* alternis angusto- v. falcato- rarius subovato-lanceolatis tenui-coriaceis concoloribus longiuscule petiolatis patulo- et prominulo-penniveniis reticulari-venulosis imperforatis, vena peripherica a margine remotiuscula, *umbellis capituliformibus* axillaribus solitariis 4–7-floris, pedunculis subcuneatis ancipitibus longitudine alabastra æquantibus v. paulo superantibus, pedicellis perbrevibus v. obliteratis, *tubo calycis angulato* ovato- v. obconico-cylindraceo 2–4 costato longitudinem operculi conico-hemisphærici acutiusculi ferme duplo excedente, antheris subovatis, fructibus semi- v. truncato-ovatis 3–4-locularibus exangulatis, valvis infra marginem tenuem orificii insertis brevibus inclusis, seminibus apteris.

In montibus Buffalo Range, Mount Buller, ad sinum Lutitt Bay, ad fontes fluminum Yarra et Barwan, ad flumen Mitchell.

Arbor mediocris v. alta, passim "Spotted Gum-tree" vocata. Cortex rugosus, secedens. Folia 3–8″ longa, $\frac{1}{2}$–1″ lata, raro latiora, dilute viridia, nitidula, exsiccatione pallescentia et opaca. Pedunculi $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}$″ longi, superne $1\frac{1}{2}$–$2'''$ lati, sæpius ancipites quam compresso-teretes. Calycis tubus subvirens, 3–$4'''$ longus. Operculum $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}'''$ altum, junius interdum tenui-conicum. Filamenta longiora circiter $3'''$ longa, exsiccatione dilute fulvida. Antheræ ochroleucæ, pæne $\frac{1}{3}'''$ longæ. Stylus circa $2'''$ longus. Fructus 3–$4'''$ longi, sessiles v. pedicello brevi anguloso prædita. Valvæ breves, si fructus magis apertus est, sæpe orificium tangentes; si ille magis ore contractus evadit, perfecte inclusæ. Semina sterilia fusca, saltem ex parte angulato-clavata; fertilia ovata, nigrescentia, compressa, opaca, circiter $1'''$ metientia.

Eucalyptus botryoides.

Sm. in Transact. Linn. Soc. iii. 286. (Sect. Rhytiphloiæ.)

Arborea, ramulis angulatis, *foliis* modice petiolatis tenui-coriaceis longe lanceolatis rarius lanceolato-ovatis leviter v. subfalcato-curvatis longe tenuiterque acuminatis supra saturate viridibus

nitentibus *subtus pallidioribus opacis subtilissime præpatentim penniveniis*, vena peripherica margini approximata, *umbellis capituliformibus* axillaribus mox lateralibus sæpe 4–9-floris, pedunculis ancipitibus subcuneatis alabastri longitudinem subæquantibus, pedicellis brevibus v. subnullis, calycis tubo pæne obconico parum angulato longitudinem operculi hemisphærici breviter apiculati v. subacuminati fere duplo excedente, antheris subovatis, stylo brevi, fructibus semiovatis 3–5-loculatis exangulatus vertice planis et tenuiter marginatis, valvis infra marginem angustum insertis inclusis brevibus, seminibus apteris.

In locis ripariis; e. g. ad portum Jackson et Baulkam Hills, Woolls; ad flumina Snowy River, Cabbage-tree River et Broadrip River eorum ostium versus, ibidem etiam circum lacunas proveniens.

Arbor alta, pulchra, in tractu Gipps Land nomine "Bastard or Swamp Mahagony" nota. Cortex persistens, nigrescenti-fuscus, rimosus et rugosus. Ramuli satis robusti, demum teretes. Petioli sæpe unciales, crassiusculi, leniter canaliculati. Folia 2–6‴ longa, $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{2}$″ lata, venis venulisque parum conspicuis percursa, glandulis primum pellucentibus mox obliteratis prædita. Umbellæ lapsu foliorum sæpe paniculatæ evadunt. Pedunculi 4–10‴ longi, $1\frac{1}{2}$–2‴ crassi, fere ancipites, nonnunquam 1–3-flori. Calyces nitentes; tubus interdum magis angulatus, in pedicellum crassum sæpe brevissimum attenuatus. Operculum plerumque exangulatum, $1\frac{1}{2}$–2‴ altum. Filamenta in sicco statu sordide flava, longiora 3–4‴ metientia. Antheræ circiter $\frac{1}{3}$‴ longæ, ochroleucæ. Stylus $1\frac{1}{2}$‴ circiter metiens, basi gradatim incrassatus. Fructus circiter 4–5‴ longi, pedicello nullo v. crasso brevi ad 2‴ longo prædíti, semiovati, nunc magis cylindracei, nunc magis turbinati. Valvæ pæne deltoideæ, 1‴ paulo superantes. Semina brunnea, angulata; sterilia $\frac{1}{2}$–1‴ longa; fertilia subovata, vix 1‴ metientia.

Species inter arboreas Australiæ felicis statim fronde saturate viridi foliisque discoloribus jam e longinquo recognita. Eandem similemve reperi in paludosis ad Sealer's Cove. Quadam specimina a clarissimo Woolls sub nomine E. piperitæ mecum communicata et ad oppidulum Parramatta collecta, tantum operculo rite conico, floribus paulo longius pedicellatis et valvis sera ætate subexsertis a normali E. botryoidi distinguendæ sunt, et forsan speciem seorsam non constituunt. Hujus arboris sub nomine "Red Gum-tree" ibidem cognitæ cortex, observante Woollsio, rugosus est et non persistit. E. goniocalycem imprimis distinguimus foliis longioribus, angustioribus, concoloribus, ea E. robustæ simulantibus, non saturate viridibus, magis prominenter et minus patentim venosis, et alabastris angulosis. Icon hujus speciei nullibi exstat, quare donec specimina authentica herbarii Smithiani cum nostris comparanda sint, nil certi de nomine arboris hinc descripti offero.

Eucalyptus Woollsii.

(Sect. Hemiphloiæ.)

Arborea, foliis alternis modice petiolatis angusto- v. subfalcato-lanceolatis chartaceis concoloribus distincte patentimque penniveniis, vena peripherica a margine recurvulo vix aut paulo remota, umbellis axillaribus terminalibusque 2–4-floris, pedicellis pedunculo brevioribus, *alabastris majusculis pallidis,* calycis tubo obconico-campanulato longitudinem operculi rite conici exangulati vix æquante, antheris subovatis, stylo stamina subæquante, fructibus semiovato-campanulatis lævibus quadriloculatis, *margine fructus adscendente orificium late cingente,* vertice capsulæ leviter convexo incluso, seminibus apteris.

Prope pagum Smithfield Novæ Cambriæ australis. Woolls.

Arbor "Woollybut" nomine distincta. Cortex partim secedens. Folia $2\frac{1}{2}$–5″ longa, $\frac{1}{2}$–1″ lata, sensim longe in apicem acutata, vix v. parce pellucido-punctata. Pedunculi satis graciles, $\frac{1}{2}$–1″ longi, teretiusculi v. compressi. Pedicelli longitudine $1\frac{1}{2}$–8‴ variantes, sensim in calycem transientes. Calycis tubus 4–6‴ longus, primum lividus, demum squalide cinereo-fuscus, rugulosus, modo exangulatus, modo 2–4 costatus, margine leviter recurvus. Operculum circiter semunciam longum, basi 4‴ latum, neque costatum, nec nitens, neque constrictum, nec valde acutatum. Filamenta longiora semipollicem vix excedentia, sicca flavida. Antheræ $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}$‴ longæ. Stylus saltem exsiccatus plus minusve compressus. Fructus semipollicares v. paulo breviores, interdum in formam turbinatam vergentes, margine pallido 1–$1\frac{1}{2}$‴ lato circum orificium cincto. Valvæ deltoideæ, infra marginem insertæ, 1‴ parum longiores. Semina sterilia angulata, clavato-filiformia, $\frac{2}{3}$–1‴ longa; fertilia nigrescentia, subovata.

Species rara, ut videtur nullibi descripta, E. cosmophyllæ et E. longifoliæ forsan approximanda.

Eucalyptus microcorys.

(Sect. Rhytiphloiæ.)

Arborea, *foliis* alternis breviuscule petiolatis chartaceis ovato- v. angusto-lanceolatis ovatisve curvatis sensim acuminatis pellucide punctatis patentim subtiliter penniveniis *subtus pallidioribus opacis,* vena peripherica a margine remotiuscula, umbellis paniculatis v. inferioribus axillaribus solitariis 4–7-floris, pedicellis angulatis pedunculo propio compresso brevioribus calyce longioribus v. subæquilongis, alabastris subclavatis, calycis parvi tubo campanulato-obconico in pedicellum transiente, *operculo depresso-hemispherico minuto membraneo* vix apiculato, filamentis brevibus tenerrimus, antheris perminutis subcordatis, *stylo perbrevi setaceo,* fructibus truncato-ovatis 3–4-loculatis, margine tenui, valvis deltoideis subexsertis v. pæne inclusis, seminibus apteris.

In silvis ad flumina Hastings et McLeay River. Dr. Beckler. Ad flumen Brisbane. F. M.

Arbor excelsior v. minor. Cortex in trunco ramisque persistens, leviter sulcatus, lamellosus, fibris intertextus. Ramuli teretes, apice angulati. Folia tenerioris consistentiæ, quam in plerisque speciebus, 2–4″ longa, ½–1″ lata, basi sæpe valde inæquilatera, supra saturate viridia. Pedunculi speciales ½–1″ longi, apice circiter 1‴ lati. Pedicelli 2-5‴ metientes. Tubus calycis florentis vix ultra 2‴ longus, dilute livido-fulvus, fauce ampliatus, quo modo simul cum operculo apex alabastri ferme globosus redditur. Operculum pallidum, tantummodo sesquilineare. Filamenta ochroleuca, tenuissima, longiora solum bilinearia. Antheræ ⅛–⅙‴ metientes, pallidæ. Stylus 1‴ tantum longus, singulariter tenuis, mox deciduus. Fructus circa 3‴ longi, non v. basi tantum angulati, ore non contracti. Valvæ 1‴ breviores. Semina fusca; sterilia oblique tetraëdra v. subclavata; fertilia subcompresso-ovata, vix 1‴ longa.

Species foliis aliquotenus E. floribundam simulans; operculi minutie et teneritate præ fere omnibus congeneribus valde insignis.

Eucalyptus hæmastoma.

Sm. in Transact. Linn. Soc. iii. 287; E. signata, F. M. in Proceed. Lin. Soc. iii. 85. (Sect. Leiophloiæ.)

Arborea, foliis alternis modice petiolatis concoloribus tenuicoriaceis angusto- v. falcato-lanceolatis rarius lanceolato-ovatis longe in apicem acutatis prominulo-penniveniis, *venis lateralibus erecto-patentibus*, vena peripherica a margine remota, umbellis axillaribus et lateralibus v. demum racemoso-paniculatis 5–10-floris, pedunculis angulosis calyce longioribus, *calycis tubo turbinato longitudinem operculi parvi depresso-hemisphærici* exangulati apiculati fere *duplo excedente* in pedicellum longiorem sensim attenuato, filamentis breviusculis, antheris cordato-reniformibus, fructibus semiovatis quadriloculatis ecostatis, vertice leviter convexo orificium late cingente, valvis brevibus deltoideis subinclusis, seminibus apteris.

In Australia orientali a sinu Wide Bay portu Jackson tenus.

Arbor mediocris v. major, in Nova Cambria australi passim "White Gum-tree" passim "Spotted Gum-tree" nominata. Cortex secedentibus stratis extimis truncum lævem et sæpe e livido cinereo et cæsio variegatum relinquens. Folia 3–7″ longa, ½–1⅓″ lata, fere imperforata v. satis crebre pellucideque punctata. Pedunculi floriferi 3–6‴ longi, fructiferi usque ad 1″ metientes, semper plus minusve compressi. Alabastra pedicello addito fere clavata, circiter 3‴ longa. Operculum 1½–2‴ latum. Filamenta longiora circiter 2‴ metientia, ochroleuca. Antheræ ⅙–⅛‴ latæ. Stylus tenuis, sæpe 1‴ brevior. Fructus pedicello 1–2‴ longo prædíti,

2–3‴ longi. Valvæ juxta verticem fructus sitæ. Semina sæpe rhombeo-ovata, angulosa; sterilia pallidius fusca, fertilibus spadiceis nitidis lineam circiter metientibus utplurimum minora.

E. rigida, Sieb. Herb. Fl. Nov. Holl. 473, formam E. hæmastomæ præbere videtur, quæ etiam aliquotenus ad E. giganteam accedit; discrimina, quibus a stirpe supra adumbrata differt, sunt folia sæpe magis recto- v. ovato-lanceolata crassius coriacea, flores fructusque conspicue majores, tubus calycis campanulato-obconicus, margo verticis fructus intus descendens; cortex non diversus apparet. Icon E. obtusifloræ, Cand. Memoir. Gener. ix. 10, in hancce E. hæmastomæ formam non male quadrat. E. eugenioides, Sieb. in Spreng. cur. poster 195, Herb. Fl. Nov. Holl. 479, Fl. Mixt. 603, non minus ad hanc speciem pertinere videtur. E. micrantha, Cand. Prodr. iii. 217, secundum specimen Sieberi numero 497 distributum, in herbario inclyti Sonder servatum, et bene in iconem promulgatam conveniens, mihi ab E. hæmastoma non multum distare videtur, quamvis tantum stirpem alabastrigeram examinavi; venæ foliorum paulo minus divergunt, quam in icone Candolleana. Planta herbarii Sieberi 476 ad E. hæmastomam in Cand. Prodr. ducta potius verbis Smithii de E. paniculata respondit. Huic autem in herbario Sieberiano, ut patet e collectione Sonderiana, intermixta erat E. pilularis, Cand., quæ iterum vix ad plantam homonymam Smithii, sed ad E. salignam forsan trahenda esset.

Eucalyptus coriacea.

All. Cunn. in Walp. Repert. Bot. Syst. ii. 925; J. Hook. Flor. Tasman. i. 136; E. pauciflora, Sieb. in Spreng. cur. poster. 195; E. piperita var. pauciflora, Cand. prodr. iii. 219; E. phlebophylla, F. M. in Miq. Stirp. Nov. Holl. 44; E. submultiplinervis, Miq. l. c. 42. (Sect. Leiophloiæ.)

Arborea, *foliis* alternis modice petiolatis coriaceis concoloribus nitentibus angustius latiusve lanceolatis leniter v. falcatim curvatis *longitudinaliter v. paulo patentim venosis basi acutis* apice acutatis v. acuminatis, vena peripherica margini approximata, umbellis axillaribus solitariis v. in racemum dispositis tri- v. plurifloris rarius multifloris breviter rarius longiuscule pedunculatis, calycis tubo obconico-turbinato in pedicellum brevem crassumque attenuato vix angulato longitudinem operculi depresso-hemisphærici aliquoties superante ejusdem latitudinem paulo excedente, antheris cordato-reniformibus, fructibus truncato- v. semi-ovatis tri- usque quinque-loculatis, margine verticis planiusculo, valvis inclusis v. paulo exsertis brevibus deltoideis, seminibus apteris.

In silvis præsertim montanis paludosisve Novæ Austro-Cambriæ, Australiæ felicis et Tasmaniæ, in alpes altius quam congeneres adscendens, ubi silvulas satis extensas inter altitudinem 4000–5000′ efformat.

Arbor altitudinem 80′ attinens, "White Gum-tree" et "Weeping Gum-tree" Tasmanicorum, "Mountain White Gum-tree" colono-

rum Australiæ felicis. Ramuli in modum complurium congenerum penduli, mox teretes, sæpe rubro-fusci, nonnumquam halitu glauco superfusi. Folia pleraque 3–7″ longa, $\frac{2}{3}$–$1\frac{1}{3}$″ lata, speciminum autem alpinorum minora, haud v. parce pellucido-punctata, arboris junioris passim pedem longa et semipedem lata; venæ primariæ seu nervi laterales satis fortes, venulis anastomosantibus conjunctæ; acumen foliorum sæpius tenue et hamatum. Pedunculi angulati v. teretiusculi unam v. paucas lineas passim ad pollicem longi, cum alabastris non raro pruinosi. Calycis tubus fere 3‴ longus. Operculum valde depressum, circa 2‴ latum, tenui-coriaceum. Filamenta albida, exsiccatione ochroleuca, longiora circiter $2\frac{1}{2}$‴ metientia. Antheræ $\frac{1}{4}$‴ latæ, pallidæ. Stylus 1–$1\frac{1}{2}$‴ longus. Fructus 4–6‴ longi, ore haud v. conspicue contracti, margine oris nunc latiore, nunc angustiore. Vertex capsulæ pæne planus, parum v. evidenter immersus. Semina præangulosa; sterilia fulva fertilibus spadiceis nitidis circiter lineam longis fere conformia.

Hæcce species arcto nexu cum E. hæmastoma et E. gigantea concatenatur. E. virgata, Sieb. in Spreng. cur. poster 195 secundum specimen herbarii Sieberi 497 alabastrigerum operculo juniore subconico paulo discedere videtur. Hæc ultima forsan E. capitellatam repræsentat. E. stricta Sieb. quidem foliis angustioribus crassioribus indistincte venosis insignis est, nihilominus formis E. coriaceæ forsan adnumeranda erit.

Eucalyptus amygdalina.

Labill. Nov. Holl. Plant. Specim. ii. 14, t. 154; Spreng. Syst. Veg. ii. 501; Cand. prodr. iii. 219; Hook. Bot. Mag. 3260; Miq. Stirp. Nov. Holl. 28; E. radiata, Sieb. in Cand. prodr. iii. 218; Cand. in Mem. Genev. ix. t. 7; J. Hook. Fl. Tasm. i. 137; E. Risdoni, J. Hook. in Lond. Journ. of Bot. vi. 476; Fl. Tasm. i. 133, ii. t. xxiv.; E. nitida, J. Hook. Fl. Tasm. i. 137, t. xxix. (Sect. Rhytiphloiæ.)

Arborea, ramulis gracilibus apice angulosis, *foliis breviuscule petiolatis chartaceis angusto- v. lineari-lanceolatis basi acutis* apice acuminatis levi- v. falcato-curvatis concoloribus, *venis erecto-patentibus vix prominulis* pæne obliteratis, peripherica a margine remota, umbellis pauci- v. pluri- v. multifloris axillaribus solitariis longius breviusve pedunculatis, alabastris obovato-clavatis sensim in brevem pedicellum attenuatis, calycis tubo obconico exangulato longitudinem operculi hemisphærici mutici apiculati v. breviter acuminati fere bis excedente, filamentis breviusculis, antheris cordato-reniformibus, *fructibus semiovatis ecostatis* 3–5-loculatis, verticis margine leniter convexo, valvis deltoideis vix v. paulo exsertis, seminibus apteris.

In planitiebus collibusque graminosis, lapidosis et ericetosis Tasmaniæ frequentius, quam in Australiæ felice proveniens, in alpes usque adscendens.

Arbor minor v. mediocris, interdum vero procera et altitudinem 100 pedum attinens, apud Tasmanicos nomina "Peppermint, Brown Peppermint, Risdon's et Drooping Gum-tree" gerens. Lignum ægre comburendum, si raro fissile, pro imbricibus optimis, monente Oldfieldio, adhibitum. Cortex solidus v. paulo fibrosus, squalide cano-fuscus, rugosus et rimosus, utplurimum tam in trunco quam in ramis omnino peristens, alibi autem agentiis nondum satis investigatis strata corticis superiora a ramis et ab altiore trunci parte dejiciens. Rami dejecto cortice cinerei, læves, quo modo arbor transitum a sectione Rhytiphloiarum ad Hemiphloias parat. Ramuli sæpe valde pendentes. Folia arboris evolutæ $1\frac{1}{2}$–8″ longa, 2–12‴ lata, nisi exacte chartacea saltem tenui-coriacea, statu juniore, ut jam Labillardière monuerit, opaca, ætate vero fere semper plus minusve nitentia, glandulis oleigeris non raro pellucentibus crebre punctata, saturatius quam in multis aliis speciebus viridia, venis parum patentibus sera ætate magis in conspectum venientibus distanter percursa, acumine tenui plerumque uncinata. Folia autem stirpis junioris vel propaginum radicalium formam in genere non omnino raram nempe cordatam et ovatam ad 2″ latam assumunt, immo connata sunt, plurium congenerum instar tunc opposita et valde pruinosa sive omnino albentia occurrunt. Hujus etiam roris subfarinacei seu glaucedinis alabastra talium propaginum haud raro sunt participes. Venæ foliorum latitudine adeo auctorum, ut facile fingas, admodum divergunt. Pedunculi paucas lineas ad pollicem usque longi, satis tenues, plus minusve angulati. Alabastra sæpe 3‴ longa, interdum breviora. Operculi altitudo ad summum 1‴. Operculum exterius, observante Oldfieldio, nonnunquam præsens, magnitudine interius adæquans, semper caducissimum. Filamenta cremorea, tenera; eorum longiora $1\frac{1}{2}$–2‴ metientia. Antheræ $\frac{1}{4}$–$\frac{1}{6}$‴ latæ, pallidæ. Stylus staminibus brevior, $\frac{1}{2}$–1‴ metiens. Fructus 2–3‴ longi, haud v. perparum sursum contracti; margo verticis latior v. angustior, nunquam præangustus. Semina sterilia fulva, sæpe 1‴ breviora, latiuscula; fertilia spadicea, ovata, angulosa, partim truncata, fere 1‴ longa.

E. tenuiramis, Miq. Stirp. Nov. Holl. 32, secundum diagnosin ab E. amygdalina dignosci nequit. Dubius hæro, annon propagines E. coriaceæ promiscue sub nomine E. Risdoni comprehenduntur. Transitus autem claros ab E. Risdoni, qualem J. Hooker depixit, ad illam E. amygdalinæ formam, quam Sieber sub nomine E. radiatæ distribuit, me ipso in collectione Sonderiana comparatam, a clar. Oldfield accepi. Species Eucalyptorum Tasmaniæ, quas inter notas agnosco, sunt sequentes: E. Globulus, E. urnigera, E. viminalis, E. acervula, E. amygdalina, E. coriacea, E. gigantea. In herbario nostro E. coccifera et E. vernicosa nimis imperfecte extant, ut de earum specifica positione tuto judicarem. Prior autem nil nisi E. amygdalinæ statum alpinum, floribus frigore difformibus, exhibere videtur. E. cordata, judicio Oldfieldii, forsan E. giganteæ

propagines florescentia præcoces sistit. Affinitas inter E. amygdalinam, E. giganteam, E. hæmastomam et E. coriaceam adeo eminens, ut species propter corticem facilius, quam ex aliis characteribus recognoscantur. Distinctiones validas inter E. hæmastomam antea descriptam et certas E. amygdalini formas robustiores hemiphloias vix intelligo. Nihilominus species hybridæ forsan in hoc genere haud proveniunt, quum germen jam fecundatur, dum calyx operculo clausus remanet.

Eucalyptus Doratoxylon.

Arborescens, *foliis oppositis angusto- v. lineari-lanceolatis* parum v. leviter curvatis breviter v. breviuscule petiolatis chartaceis concoloribus subtilissime patentim penniveniis crebre reticulari-venulosis imperforatis, vena peripherica a margine parum remota, umbellis 5–7-floris primum nutantibus, pedicellis tenuibus angulatis tubo calycis subæquilongis pedunculo gracili compresso bis pluriesve brevioribus, calycis tubo parvo obconico exangulato longitudinem operculi lævis semiovati rostrato-acuminati subæquante, filamentis breviusculis, antheris subovatis, stylo brevi.

In humo fertili secus rivulos a loco Kojoneerup Australiæ occidentalis per plagas proximas orientem versus. Maxw.

Arbuscula v. arbor minor, altitudinem 30′ attinens. Folia 2–3½″ longa, 3–6‴ lata, acumine tenui curvato acutata, non conspicue punctata. Pedunculi ½–⅔″ longi, quasi ancipites, sursum paulo dilatati, sed vix lineam crassi. Calycis florentis tubus circiter 2‴ longus. Operculum pallidum v. fulvidum, acumine curvulo tenui præditum. Filamenta albida, exsiccatione ochroleuca, longiora pæne 2‴ longa. Antheræ pallidæ, circiter ⅙‴ longæ, rimis longitudinalibus hiantes. Fructus nondum detecti.

Nativi ligno pro hastis faciendis utuntur.

Eucalyptus gracilis.

F. M. in Transact. Vict. Instit. i. 35; Miq. Stirp. Nov. Holl. 28.

Fruticosa, foliis alternis tenui-coriaceis breviuscule petiolatis concoloribus angusto- v. lineari-lanceolatis leviter curvatis, *venis patulis v. erecto-patentibus prætenuibus v. vix conspicuis*, peripherica a margine remotiuscula, umbellis axillaribus solitariis v. subpaniculatis longiuscule v. breviter pedunculatis, alabastris obovato-clavatis, *calycis tubo fere tetragono-obconico* in pedicellum brevem v. brevissimum desinente longitudinem operculi depresse v. rite hemisphærici apiculati aliquoties excedente, *antheris minutis sphærico-nephroideis poro duplice apteris*, fructibus truncato ellipsoideis leniter angulatis 3–4-loculatis, margine oris tenui, valvis brevibus deltoideis inclusis, seminibus sterilibus minutis, omnibus apteris.

In eremo a fluminibus Murray et Darling River usque ad montes Phillips Ranges Novæ Hollandiæ austro-occidentalis, magnam partem fruticetorum "Mallee Scrub" dictorum constituens.

Frutex orgyalis v. altior. Ramuli tenues, angulosi. Folia 2–4″ longa, 3–8‴ lata, crebre et partim pellucide punctata, acumine curvulo v. revera uncinato terminata. Pedunculi floriferi $1\frac{1}{2}$–3‴ longi, fructiferi ad 5‴ metientes, satis tenues. Pedicelli primum 1–2‴ demum 3‴ longi, angulosi. Calycis tubus $2\frac{1}{2}$–$3\frac{1}{2}$‴ longus, rarius paulo brevior v. longior. Operculum circiter 1‴ altum. Filamenta tortula, tenera, albida et exsiccando ochroleuca, rarius erubescentia, longiora 3‴ metientia. Antheræ pallidæ, tantum $\frac{1}{8}$–$\frac{1}{6}$‴ latæ, rima brevi poriformi utrinque apertæ, glandula fusca turgente præditæ. Stylus circa $1\frac{1}{2}$‴ longus, filiformis. Stigma hemisphæricum, tubo æquicrassum. Fructus 3–4‴ longi, 2–$2\frac{1}{2}$‴ lati, apice vix v. leniter tantum contracti. Valvæ sæpe profunde inclusæ. Semina sterilia pleraque $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}$‴ longa, ferruginea, seu clavata, seu magis tetraëdra; fertilia pæne 1‴ longa, sordide fusca, opaca, ovata, dorso convexa, apice nonnunquam truncata. Hilum laterale.

Species præter habitum suis characteribus ad E. amygdalinam vergit, statura et plerisque notis E. fruticetorum et E. fasciculosæ accedens. Stirps Tasmanica, quam illustris Miquel ex specimine imperfecto huc duxit, forsan ad E. amygdalinam certo non ad hancce speciem eremicolam pertinet.

Eucalyptus oleosa.

F. M. in Miq. Stirp. Nov. Holl. 31; E. socialis, F. M. l. c. 36; E. leptophylla, F. M. l. c. 27. (Sect. Hemiphloiæ.)

Fruticosa, raro arborea, *foliis coriaceis* alternis breviuscule v. modice petiolatis angusto- v. lineari- v. oblongo-lanceolatis apice uncinato-acuminatis basi acutis concoloribus leniter curvatis *nitentibus crebre punctatis subtilissime et patentim v. indistincte penniveniis*, vena peripherica tenui v. pæne obliterata a margine remotiuscula, umbellis breviter v. longiuscule pedunculatis axillaribus solitariis 4–11-floris, calycis tubo obconico v. semiovato in pedicellum breviusculum v. brevissimum raro elongatum attenuato vix angulato longitudinem operculi lævis semiovati rarius fere hemisphærici v. conici mutici umbonati v. rostrati subæquante v. paulo excedente v. semiæquante, filamentis stylum paulo superantibus, antheris subglobosis, fructibus semi- v. truncato-ovatis tri- usque quadriloculatis, *valvis subulatis exsertis* basi inclusis, seminibus apteris.

In virgultis desertorum a fluviis Murray et Darling usque ad flumen Murchison et regiones Novæ Hollandiæ austro-occidentales, nec non in insula halmaturorum abunde proveniens.

Frutex orgyalis v. altior, raro ad magnitudinem arboris mediocris enascitur. Cortex trunci antiqui sordide cinereus, rugosus, diu persistens, ramorum lævis. Ramuli inferne teretiusculi, superne

angulosi. Folia $1\frac{1}{2}$–5″ longa, 2–8‴ raro ad 1″ lata; glandulæ oleigeræ ob crassitiem foliorum haud v. partim tantum pellucentes. Pedunculi 2–6‴ longi, dum flores pedicellatos sustentant magis teretiusculi, dum umbellam capitatam ferunt magis compressi et nonnunquam ancipites et cuneato-dilatati. Calycis tubus $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}$ raro ad 4‴ longus, passim campanulatus. Operculum modo pallidum opacum, modo nitens et rufescens, exangulatum, 1–4‴ longum, vàrians obtusissimum, acutiusculum, obtuse acuminatum vel cylindrico longeque rostratum. Filamenta albida, demum ochroleuca; exteriora longitudine 3–5‴ varia. Antheræ $\frac{1}{8}$–$\frac{1}{4}$‴ metientes, pallidæ, raro fuscesentes, si minimæ rimulis poriformibus apicem versus apertæ, si majores rimis lateralibus distinctius hiantes. Stylus silicet magnitudine florum variabilis, 2–5‴ longus, setaceus v. filiformis, stigmate minuto terminatus. Fructus 2–4‴ longi, lenissime ore contracti; margo verticis satis latus, fere planus. Valvæ stylo paulisper persistente primum apice cohærentes. Semina sterilia fusca v. fulva, partim rhomboidea et minuta, partim clavellata et fere scobiformia; fertilia nigrescentia, ovata, compressa, circiter 1‴ longa.

E. incrassata, Schlechtend. Linn. xx. 658, nisi etiam genuina stirps Billardierii, vix dubie huc pertinet.

Species mirum in modum ludens, magnam copiam fructicetorum "Mallee Scrub" dictorum formans, peregrinatoribus et præcipue aboriginibus in tractu suo præarido utilissima, quum radix horizontaliter longe procurrens largam aquæ puræ copiam retineat. Hujus frustula in ullo vase reposita liquore limpido per aliquot horas scatent. Species hinc adumbrata forsan E. incrassatæ subordinanda est, cum formæ latifoliæ præter venationem minus prominentem et regularem in iconem Billardierii ad amussim quadrent. Sed hujus et E. uncinatæ, verisimiliter etiam huc pertinentis, specimina authentica comparare mihi nondum contigit.

Eucalyptus fruticetorum.

F. M. in Miq. Stirp. Nov. Holl. 35; E. santalifolia, F. M. l. c. 37, et in Transact. Vict. Instit. i. 35. (Sect. Hemiphloiæ.)

Fruticosa, arborescens, foliis alternis modice petiolatis angusto- v. falcato- v. oblongo-lanceolatis chartaceis v. coriaceis primum subtiliter demum prominenter patentim penniveniis nitentibus concoloribus, vena peripherica margini approximata, umbellis axillaribus et lateralibus solitariis v. subpaniculatis, pedunculo teretiusculo v. compresso floribus subæquilongo, *calycis tubo truncato- v. obconico-ovato parum v. haud angulato* breviter v. non pedicellato *longitudinem operculi* rite v. depresse v. pyramidate hemisphærici estriati *fere ter excedente*, antheris subovatis, stylo brevi, fructibus truncato- v. cylindrico-ovatis tri- usque quadriloculatis,

margine oris tenui, valvis omnino inclusis brevibus, seminibus apteris.

In planitiebus arenoso-argillaceis v. lapidosis deserti a fluvio Murray usque ad flumen Murchison, conspicuam partem virgultorum constituens.

Frutex variæ altitudinis, ad magnitudinem arboris minoris enascens. Cortex ramorum et trunci junioris lævis, trunci autem vetusti rugosus et semifibrosus, cinereus, diu persistens. Ramuli graciles, frequentius teretiusculi, quam angulati. Folia 2–4‴ longa, 4–8‴ lata, rarius majora, sensim in acumen sæpe uncinatum acutata, plus minusve pellucenter punctata, sed dum folia passim crasso-coriacea evadunt, omnino imperforata. Pedunculi semunciales v. breviores, rarius longiores. Pedicelli sæpe 1‴ longi, interdum obliterati. Calycis tubus 2–3‴ longus. Operculum circiter 1‴ altum, $1\frac{1}{2}$–2‴ latum, coriaceum. Filamenta crassiuscula, albida, exsiccatione paulo flavescentia, exteriora ad longitudinem 2–3‴ extensa. Antheræ pallidæ, $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{4}$‴ longæ, ab ovata forma in globosam, quadratam et cuneatam plus minusve vergentes, tota longitudine utrinque dehiscentes. Stylus crassiuscule filiformis, 1‴ vix excedens. Fructus $2\frac{1}{2}$–4‴ longi, ore leviter contracti. Semina sterilia fere rhomboidea, clavata v. deltoidea, $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}$‴ longa, fusca vel fulva; fertilia subovata, dorso convexa, sordide fusca, demum nigrescentia, circiter $\frac{3}{4}$‴ longa.

Species affinitate inter E. amygdalinam et E. gracilem trahitur. Nomades e trunco stirpis junioris hastas parant. E. amygdalina, Schauer, in Lehm. pl. Preiss. i. 130, huic speciei congrua apparet; homonyma saltem planta Billardierii inter numerosas Eucalyptos Australiæ occidentalis in nostra collectione servatas non exstat. Species finitima, nisi forte varietas ætate producta, altius arborea obvenit in Australia occidentali, ubi nomine "Yandee" nativis signatur. Hæc præcipue eo divergit, quod vena foliorum marginalis longe a peripherica distet, et venæ laterales minus pateant. Cortex præterea, secundum indagines Oldfieldii, nigrescit et fasciatim tarde secedit. Hæc arbor trunco recto gaudet et ad sectionem Pachyphloiarum melius, quam ad eam Hemiphloiarum referenda est. Quo modo illa arbor, quæ colonis Australiæ occidentalis nomine "York Gum-tree" nota, ab E. fruticetorum distinguatur, e speciminibus Oldfieldio oblatis non clare elucet. E. largiflorens, F. M. in Transact. Vict. Instit. i. 34 (E. hæmastoma, Miq. Stirp. Nov. Holl. 34 non Sm.) deserto terræ australis peculiaris est, nec Tasmaniæ indigena; hæc sicut E. Behriana affines sunt E. fruticetorum, sed ulteriore observatione et distinctionum expositione egent.

De omnibus his speciebus in monographia generis mox edendo et iconibus omnium specierum rite cognitarum illustranda ulterius agam.

Eucalyptus dumosa.

All. Cunn. in Walp. Annal. Bot. Syst. ii. 925; E. angulosa, Schauer, l. c.; E. cuspidata, Turcz. in Bullet. de Moscou, xxii. 2, 21; E. lamprocarpa, F. M. in Miq. Stirp. Nov. Holl. 33; E. Muelleri, Miq. l. c. 34; E. turbinata, Behr & Muell. l. c. 41; E. costata, Behr & Muell. l. c. 40, et in Transact. Vict. Instit. i. 33. (Sect. Leiophloiæ.)

Fruticosa, *foliis* alternis modice petiolatis angusto- v. oblongo- v. ovato-lanceolatis rarius late ovatis sæpe longe acutatis leniter curvatis *crasso-coriaceis concoloribus tenuissime v. indistincte penniveniis* fere semper imperforatis, vena peripherica a margine magis minusve remota, umbellis pauci- v. plurifloris axillaribus solitariis, pedunculis angulosis nunc subcylindraceis nunc clavato- v. cuneato-ancipitibus alabastra nitentia longitudine excedentibus v. æquantibus v. brevioribus, pedicellis nullis v. brevibus angulosis, *calycis tubo* semiovato v. subcampanulato prominenter v. leniter costato *longitudinem operculi semiovati v. hemisphærici v. pyramidato-semiglobosi mutici acuminati v. rostrati radiato-costati rarius sublævis subæquante v. duplo excedente* ejusdem latitudine paulo superato, antheris subovatis, fructibus semi- v. truncato-ovatis perraro semiglobosis imperfecte v. eminenter costatis 3–4-loculatis, margine oris angusto, vertice capsulæ in stylum paulo adscendente, valvis inclusis rarius semiexsertis deltoideis acuminatis, seminibus apteris.

In virgultis desertorum a fluviis Murray et Darling et a sinu Spencer's Gulf usque in viciniam capitis Riche et sinus squalorum.

Frutex amplus validus, mirum in modum varians. Ramuli compresso-tetragoni, ætate teretiusculi. Folia nitentia, rarius opaca, 2–5″ longa, $\frac{1}{2}$–2″ lata, punctulis ægre visibilibus conspersa, rarissime conspicue pellucido-glandulosa, juniora nonnunquam æruginosa, basi sæpe inæquilatera; venæ laterales modice patentes, epidermide adeo obtectæ, ut difficulter percipiantur. Pedunculi 2–12″ longi, superne 1–4‴ lati. Calycis tubus $2\frac{1}{2}$–6‴ longus. Operculum $1\frac{1}{2}$–6‴ longum, 8–13-striatum, jugis paulo v. acute prominentibus. Filamenta albida, exsiccata flavescentia, raro rufescentia, exteriora longitudine inter 3 et 6‴ varia, paulo crassiora quam ea multorum congenerum. Antheræ pallidæ, $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}$‴ longæ. Stylus crassiusculus, filiformis, $1\frac{1}{2}$–6‴ longus, interdum apice clavatus. Fructus 3–10‴ longi; margo paulum ultra capsulæ verticem productus. Semina sterilia $\frac{1}{3}$–$1\frac{1}{3}$‴ longa, e ferrugineo fuscata, subulata, scobiformia, cuneata, clavata, rhomboideaque; fertilia nigrescentia, 1–$1\frac{1}{2}$‴ longa, plano-convexa, ovata v. subrotunda, nitoris expertia.

Species E. gomphocephalam et E. corynocalycem magnopere appropinquat. Inter plantas a clar. Oldfield ad flumen Murchison collectas occurrunt specimina speciei arboreæ ad sectionem Leiophloiarum pertinentis, quæ vix ulla linea ab E. dumosa recedunt, si consistentiam foliorum chartaceam excipias.

Eucalyptus Leucoxylon.

F. M. in Transact. Victor. Inst. i 33 ; Miq. Stirp. Nov. Holl. 30 ; E. cosmophylla, F. M. l. c. 32, Miq. l. c. 38. (Sect. Hemiphloiæ.)

Arborea, foliis modice petiolatis alternis angusto- v. subfalcato- v. rarius ovato-lanceolatis tenui-coriaceis v. chartaceis concoloribus in acumen angustum sensim acutatis patulo-penniveniis, vena peripherica a margine magis minusve dissita, umbellis axillaribus demum lateralibus solitariis subtrifloris, *alabastris corrugantibus*, pedicellis angulosis sursum incrassatis vix compressis pedunculo sæpe angulato gracili sicut tubo calycis campanulato v. semiovato v. subturbinato pæne æquilongis v. ultimo longioribus rarius brevioribus rarissime nullis, operculo hemisphærico v. semiovato v. late conico rostrato v. acuminato v. apiculato rarius obtuso longitudinem tubi fere omnino v. semiæquante eidem latitudine fere æquali, *filamentis flavescentibus crassiusculis glandulosis*, antheris rotundo- v. quadrato-ovatis, stylo staminibus paulo breviore, stigmate dilatato, *fructibus truncato- v. semiovatis* 4–7-*loculatis* exangulatis, valvis inclusis deltoideis, *seminibus fertilibus clathrato-venulosis*, omnibus apteris.

In vallibus planitiebus montibusque graminosis et petræis passim a tractu Novæ Angliæ et districtu Liverpool usque ad flumina Avoca et Murray, inde usque ad sinus Spencer's et Vincent's Gulf.

Arbor media v. major, jam altitudine fructicis fructificans, semperflorens, circum fodinas ad Bendigo "Ironbark-tree" vocatur, in colonia Adelaidensi autem "White Gum-tree" signatur. Cortex strata suprema separans, ideoque truncum lævem fere cinereum reddens, vel aliis locis omnino circum truncum retentus, tunc crassus cinerascens et rugosus evadit. Lignum satis fissile, durum, pallidum. Ramuli inferne teretes, superne angulosi, interdum cum foliis junioribus pruinosi. Folia adultæ stirpis $2\frac{1}{2}$–6″ longa, 4–12‴ lata, rarius nitore prorsus destituta, in basin parum obliquam acutata, imperforata v. passim pellucide punctata, propaginum juniorum opposita ovali-cordata et sessilia. Venæ foliorum primariæ modo prominentes, modo pertenues. Intra venam perifericam et marginem non solum venulæ reticulares extendunt, vero etiam altera vena longitudinalis tenuior perfluit. Umbellæ nonnunquam flores 6 proferunt, passim ad solitarium florem depauperant. Calycis tubus 2–6‴ longus, inferne angulato-subplicatus. Operculum $2\frac{1}{2}$–5‴ altum, $2\frac{1}{2}$–$4\frac{1}{2}$‴ latum. Filamenta angulata, raro saturate rosea, longiora 3–8‴ metientia. Antheræ fugaces, pallidæ, $\frac{1}{5}$–$\frac{1}{3}$‴ longæ, tarde dehiscentes, glandula terminatæ. Stylus angulato-filiformis, satis validus. Stigma depressum v. hemisphæricum, $\frac{1}{2}$–1‴ latum. Fructus 3–8‴ longi, singulariter passim a forma normali aberrantes ; margo verticis acutiusculus et descendens v. pæne planus, annulum coriaceum tarde separans ; capsulæ vertex planus ; valvæ fere semper ultra quatuor. Semina sterilia

in quadratam deltoideam v. clavatam figuram abeuntia, dilute fusca, $\frac{1}{2}$–1‴ longa ; fertilia opaca, nigrita, angulato-ovata v. subrotunda, vix 1‴ longiora.

Inter E. Woollsii et E. persicifoliam systemati inseratur.

Eucalyptus persicifolia.

Loddig. Bot. Cabinet, t. 501, secund. Cand. Prodr. iii. 217 ; E. semicorticata, F. M. in Proceed. Linn. Soc. iii. 86. (Sect. Hemiphloiæ.)

Arborea, foliis modice v. breviuscule petiolatis alternis angusto- v. subfalcato- rarius ovato-lanceolatis tenui-coriaceis concoloribus in acumen angustum sensim acutatis subtiliter patentimque penniveniis, vena peripherica a margine magis minusve dissita, umbellis axillaribus lateralibus et terminalibus solitariis et paniculatis 4–14-floris, pedicellis crassiusculis angulatis pedunculo compresso brevioribus calycis tubo subæquilongis v. abbreviatis, *operculo inferne fere semiovato supra medium in rostrum conico-subulatum sensim attenuato* coriaceo longitudinem tubi obconico- v. turbinato-semiovati exangulati nitentis subæquante v. semisuperante ejusdem diametrum vix excedente, filamentis breviusculis, antheris reniformi-cordatis, stylo stamina fere æquante, *stigmate minuto*, fructibus semiglobosis semiovatis v. subglobosis 3–4- raro 5-loculatis, margine orificii planiusculo v. valde convexo, valvis exsertis v. sub ore inclusis brevibus deltoideis, *seminibus fertilibus sterilia vix magnitudine excellentibus*, omnibus apteris.

In collibus montibusque minus fertilibus a sinu Moreton Bay usque ad flumina Goulburn et Macallister Australiæ felicis, in regiones subalpinas adscendens.

Arbor mediocris v. magna, frequentius "Ironbark-tree" quam "Blackbut" vocata, jam statu fruticoso, quo tractus alpium passim obtegit, florens, geologis formationem auriferam sæpe indicans. Cortex extus squalide cano-fuscus nigrescens et sulcis exaratus, intus subfibrosus, nec a trunco neque a ramis glubens, aut a ramis tunc cinerascentibus decidens, transitum ad seriem Hemiphloiarum præbens. Ramuli compresso-tetragoni, ætate teretiusculi. Folia nitidula, $2\frac{1}{2}$–5″ longa, $\frac{1}{2}$–1″ lata, basi acutiuscula et sæpe obliqua, imperforata, plerarumque congenerum instar acumine uncinato fragili terminata ; venæ primariæ subtiles, nonnunquam epidermide obliteratæ, ætate autem conspicius prominentes. Pedunculi 4–12‴ longi, 1–$2\frac{1}{2}$‴ lati, superne sæpe dilatati, nonnunquam manifeste ancipites. Pedicelli 2–3‴ longi, sat validi. Alabastra sæpe obscure colorata et vernicoso-splendentia. Calycis florentis tubus $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}$‴ longus, exsiccatione paululum rugatus. Operculum $2\frac{1}{2}$–$3\frac{1}{2}$‴ longum, acute et longiuscule rarius obtuse v. ancipiter rostratum. Filamenta albida v. inferne fulvescentia, demum ochroleuca, tenere capillaria, longiora 2–4‴ metientia. Antheræ pallidæ, $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{3}$‴ latæ, glandula munitæ, rima utrinque hiantes. Stylus subulato-

filiformis. Stigma haud dilatatum. Fructus 3–5‴ longi, 3–6‴ lati, costis nullis prædiți, in pedicellum non attenuati, sed basi rotundato-obtusi. Valvæ breves, verticem capsulæ planum formantes; in speciminibus Australiæ felicis vidi fere semper tres, quæ ultra marginem valde convexum tubi exsertæ; in speciminibus Australiæ orientalis fere semper 4 juxta marginem planum calycis inclusæ proveniunt. Semina sterilia fere omnia $\frac{3}{4}$–1‴ longa, angulato-ovata v. dimidiato-rotunda, vix ulla clavata, saturatius pallidiusve fusca; fertilia sterilibus fere conformia, magis nigrescentia.

Planta herbarii Sieberi 477 cum nostra e Nova Austro-Cambria omnino convenit. Arbor autem in terra Gipps Land observata operculum ostendit jam e basi magis depressa in acumen attenuatum, quo modo sutura transversa calycis acutiuscule prominet. E. persicifolia, Miq. Stirp. Nov. Holl. 41, cum planta hic adumbrata coadunari nequit, quæ quantum scimus Tasmaniam non inhabitat. Dubius hæro, quin E. persicifolia, Schlechtend. Linnæa xx. 659 eadem ac E. Leucoxylon habenda sit, cui juxta notas l. c. promulgatas potius quam alii ulli ibidem inveniendæ convenit. Stirps autem vera Orientali-Australasica prope sinum St. Vincentii non reperitur.

Euc. hemiphloia et E. leptophleba huic valde affines, ulteriori examini subjiciendæ remanent. Simillimam speciem nisi varietatem, E. Leucoxylo non minus affinem, ex variis Novæ Cambriæ australis regionibus accepi; distinguenda videtur foliis revera chartaceis, vena eorum peripherica margini fere contigua v. saltem non frequenter ab eodem remota, pedicellis in calycis tubum lenissime angulatum incrassatis, operculo conico breviore pallidiore minus coriaceo vix acuminato latitudinem tubi non æquante, antheris minoribus potius subglobosis v. quadrato-ovatis, stigmate paulo dilatato et capsulis 4–6-loculatis. Hæc æqualiter nomine "Ironbark-tree" gaudet et in illam Eucalyptum, quam Sieber sub numero 468 distribuit, exactissime quadrat. Ambæ forsitan combinandæ sunt et probabiliter veram E. resiniferam repræsentant.

Eucalyptus Gunnii.

J. Hook. in Lond. Journ. of Bot. iii. 499; Fl. Tasm. i. 134, t. xxvii.; E. Stuartiana, Miq. Stirp. Nov. Holl. p. 35; E. Baueriana, Miq. l. c. (Sect. Leiophloiæ.)

Arborea, *foliis* alternis modice petiolatis angusto- v. ovato-lanceolatis v. rite ovatis coriaceis nitentibus concoloribus patulo prominuloque penniveniis longe in acumen tenue acutatis v. breviter acutis *basi angustatis parum inæquilateris*, vena peripherica a margine remota, umbellis axillaribus et lateralibus solitariis 3–7-floris longius breviusve pedunculatis, calycis longiuscule breviter v. vix pedicellati tubo obconico-semiovato longitudinem

operculi fere hemisphærici breviter et obtusiuscule acuminati rarius mutici parum v. dimidio excedente, *antheris subovatis*, stylo brevi, stigmate depresso, *fructibus lato- v. semiovato-turbinatis exangulatis* 3–4-loculatis, margine verticis satis angusto convexo, capsulæ vertice primum plano, valvis deltoideis juxta marginem inclusis v. subexsertis, seminibus apteris.

In planitiebus vallibusque madidis, nec non in montibus udis silvaticis per Australiam felicem et Tasmaniam passim proveniens, occidentem versus ad sinum Guichen Bay extendens, in alpes adscendens.

Arbor nomina "Red Gum-tree" et "Cider-tree" apud Tasmanicos gerens, altitudinem (etiam in montium excelsiorum cacuminibus e. g. in monte Juliett) 150′ attinens, sæpius autem multo demissior, in regionibus frigidis vento expositis sicut circum paludes planitierum arbusculam tantum formans, interdum jam statu fruticoso florens. Coma sat umbrosa. Truncus, laminis corticis exterioribus degluptis, præter basin plerumque lævis et cinerascens, in infima rarius etiam in altiore parte corticem vetustum sordide cinereo-fuscum rugosum et rimosum retinens. Ramuli juniores tetragoni, seniores teretiusculi. Folia 2–5″ longa, $\frac{1}{2}$–2″ lata, ætate vix unquam pellucenter punctata, haud raro undulata. Pedunculi parum compressi, 3–10‴ longi. Pedicelli nunc obliterati, nunc ad 4‴ longi. Calycis tubus 2–4‴ longus, sæpe nitidus, non angulosus. Operculum 2–3‴ latum, coriaceum, nonnunquam valde depressum, interdum acutius et longius acuminatum, splendoris sæpe particeps, altera calyptra circiter lineam metiente fugace interdum donatum. Filamenta tenera, albida, exsiccatione flavescentia, longiora 2–3‴ metientia. Antheræ versatiles, pallidæ, $\frac{1}{4}$–$\frac{1}{3}$‴ longæ, basi bilobæ, ætate fere in clavellam coarctatæ. Stylus $1\frac{1}{2}$–2‴ longus, crassiusculus. Fructus 2–4‴ longi, vertice fere totidem lati. Valvæ juxta marginem verticis oriundæ, lineam longæ v. breviores, denique surrectæ. Semina sterilia $\frac{1}{3}$–1‴ longa, nitenti-fusca, longiora clavelliformia, breviora fere rhombiformia; fertilia oblongo- v. orbiculari-ovata, dorso convexa, ventre planiuscula, nigrita, subtilissime cancellata.

Species hinc ad E. viminalem, inde ad E. persicifoliam et E. acervulam appropinquans, forsan etiam E. acervulam, J. Hook. Flor. Tasm. l. c., et E. daphnoidem, Miq. Stirp. Nov. Holl. 37, complectens.

Arbor quædam colossea, E. Globulo, apud sinum Sealer's Cove adsociata ibidemque, "Gumtop-tree" vocata, lignum vero minus diuturnum ceteroquin ei E. Globuli simile præbens, dignoscitur cortice trunci basali vetusto fere in modum ejus E. giganteæ fibroso. Hæc arbor ingens vix dubie ad E. Gunnii referenda erit. Arbor Tasmanica "Swamp Gum-tree" nominata, me nondum visa, fortasse hujus loci est.

Eucalyptus acervula.

Sieber in Cand. Prodr. iii. 217. (Sect. Hemiphloiæ.)

Arborea, *foliis* alternis modice petiolatis ovato- v. angusto-lanceolatis leviter curvatis in apicem longe acutatis pellucide punctatis *chartaceis in basin inæquilatere angustatis* patulo tenuiterque penniveniis, vena peripherica a margine plus minus dissita, umbellis axillaribus lateralibusque solitariis 5–20-floris, pedicellis calycis tubum subæquantibus pedunculo aliquoties multotiesve brevioribus, operculo semiovato subacuminato longitudinem tubi obconico- v. hemisphærico-semiovati subæquante, *antheris cordato-reniformibus*, stylo subulato, *stigmate minuto*, fructibus semiovatis v. hemisphæricis 3–5-loculatis exangularibus, margine verticis planiusculo v. leniter convexo capsulam late cingente, valvis deltoideis prope verticem sitis subexsertis, *seminibus fertilibus nitentibus sterilibusque fere conformibus* apteris.

In Nova Austro-Cambria a sinu Botany Bay usque ad fluvium McLeay River.

Arbor ex adnotatione amici Woolls "Stringybark-tree" in suo tractu nuncupata. Folia speciminum suppetentium $2\frac{1}{2}$–4″ longa, 6–9‴ lata. Pedunculi 4–6‴ longi, satis tenues, angulosi. Calycis tubus circa 2‴ longus. Operculum costis destitutum. Filamenta albida, siccatione flavida, longiora 2‴ metientia. Antheræ ochroleucæ, circiter $\frac{1}{4}$‴ latæ. Stylus circiter $1\frac{1}{2}$‴ longus. Stigma non dilatatum. Fructus circiter 3‴ longi et 4‴ lati; margo verticis pæne lineam latus. Semina angulato-ovata v. dimidiato-rotundata, fusca, fere 1‴ longa, vix ulla clavata; fertilia oblique ovata, angulosa, nigrita, nitentia.

Specimina, quæ liberalitati celebris Woolls debemus, cum exemplaribus florigeris Sieberianis in herbario Sonderi servatis perfecte conveniunt. Antheræ renatæ jam primo intuitu speciem a simili E. Gunnii distinguunt. Stirps affinitate arcta E. giganteæ copulatur, definitioni originali E. piperitæ non parum congruit.

Eucalyptus viminalis.

Labill. Nov. Holl. Plant. Spec. ii. 12, t. 151; Spreng. Syst. ii. 501; Cand. Prodr. iii. 218; Miq. Stirp. Nov. Holl. 29; J. Hook. Fl. Tasm. i. 134; E. pilularis, Cand. Prodr. iii. 218; E. patentiflora, F. M. in Miq. Stirp. Nov. Holl. 29. (Sect. Rhytiphloiæ)

Arborea, *foliis* alternis modice v. breviuscule petiolatis *elongatis angusto- v. falcato-lanceolatis* rarius oblongo- v. ovato-lanceolatis longe sensim acutatis tenui-coriaceis v. chartaceis concoloribus patentim crebreque penniveniis, vena peripherica a margine remotiuscula raro eidem approximata, *umbellis subtrifloris* rarius 4–7-floris axillaribus et lateralibus solitariis breviter v. breviuscule pedunculatis, pedicellis subnullis v. tubo calycis brevioribus rarissime longioribus, calycis tubo exangulato semiovato v. semigloboso

longitudinem operculi semiovati v. hemisphærici acutiusculi v. breviter acuminati vix æquante, antheris subovatis, *fructibus parvis demum truncato-globosis v. semiovatis* tri- v. quadri- raro quinqueloculatis, margine verticis latiusculo adscendente, vertice capsulæ parum convexo, *valvis exsertis deltoideis*, seminibus apteris.

In pratis planitierum montiumque præsertim fertiliorum a sinu St. Vincent's Gulf usque in regiones Novæ Cambriæ australis extendens; etiam in Tasmania occurrens.

Arbor mediocris v. magna, in locis fecundis altitudine 150′ superbiens, nonnunquam jam fruticis magnitudine florifera, nomine "Drooping Gum-tree" incolis insulæ Diemensis cognita, in variis Australiæ felicis regionibus nomina "Box-tree" et "Peppermint-tree" gerens, designationis "Manna Gum-tree" me pridem selectæ potius digna. Cortex obscure fuscescens, aliquando nigrescens, rimosus, rugosus, satis solidus, tum in trunco tum in ramis vetustioribus persistens, interdum autem a ramis sicut a superiore trunci parte in modum specierum hemiphloiarum labens. Cortex a ramorum parte superiore in fasciis v. laminis tenuibus separans. Frons materiam saccharinam suavem albidam "Australian Manna" nominatam æstatis tempore exsudans. Truncus gummi-resina adstringente lucida rubro-fusca denique magis atrata scatens. Lignum ægre fissile, eo E. rostratæ pallidius. Rami juniores cortice lævi cinereo obtecti. Ramuli hornotini apice compresso-quadrangulares. Folia pleraque 4–7″ longa, 5–10‴ lata, plerarumque specierum ad instar pendentia, imperforata v. juniora pellucide punctata, basi oblique acuta, utrinque nitidula, trita inamœne graveolentia. Folia propaginum juniorum opposita, ovata, orbiculata v. cordata, sessilia, utplurimum non pulverulenta. Pedunculi angulosi, raro ultra 1‴ lati, sæpe $\frac{1}{4}$″ breviores quam longiores. Pedicelli laterales medio, qui non raro longitudinem 2‴ obtinet, sæpe breviores. Alabastra 3–4 raro 5‴ longa, juniora passim pruinosa. Operculum tenui-coriaceum, circiter $2\frac{1}{2}$‴ latum. Filamenta albida, exsiccatione flavescentia, longiora 3–4‴ metientia. Antheræ fere $\frac{1}{3}$‴ longæ. Pollinis granula tetraëdra. Stylus crassiusculus, staminibus brevior, $1\frac{1}{2}$–2‴ longus. Stigma paulo dilatatum. Fructus immaturi fere campanulato-turbinati; maturi circiter 3 raro ad 5‴ lati; pars infera pæne hemisphærica v. semiovata; margo verticis plus minus convexus, interdum conspicue depressus; valvæ lineam longæ v. breviores, ætate dilatatæ. Semina fertilia angulata, compressa, subovata, nigrescentia, circiter 1‴ longa; steriliorum plurima subclavata et 1‴ breviora; eorum aliqua diminuta et in rhomboideam formam transientia; omnia fuscescentia.

Species E. tereticorni, quacum E. rostratam conjungere coactus sum, quidem admodum finitima, secretione autem saccharina, cortice semper altius circum truncum per ætatem retento sæpe etiam, ut dixi, ramos obtegente, umbellis frequenter ad flores tres reductis et operculo in statu normali nec longe conico, neque insigniter

rostrato, stylo sæpe longiore, et vertice capsulæ sæpius pyramidato ubicunque in locis natalibus distinctu facilis. E. viminalis præterea minus in valles humidas descendit, minus margines aquarum sive udas ripas approximat, quam saltem varietas rostrata E. tereticornis. Firmæ vero discrepantiæ inter ambarum folia et earum fructus vix inveniuntur, et characteres non meliores e florum forma prodeunt, quam in utriusque speciei veris varietatibus observantur. E. pilularis Smith e sua diagnosi huc forsan duci possit. Planta synonyma Candollei fide herbarii Sieberi num. 474 non nisi varietatis ratione floribus fructibusque minoribus ab E. viminali discedit.

E. manniferam, Bennett's Wanderings in New South Wales, secundum specimen a clariss. auctore mecum communicatum, tuto huc traho. Nec minus ad hancce speciem referenda apparet E. mannifera Moud., quotenus e diagnosi patet, non obstante nota de foliis verticillatis, qualia in Eucalypto genere non nisi casu abnormi oriuntur.

E Nova Anglia accepi sine floribus specimina E. viminalis fructus capitatos gerentia et alia glaucedine superfusa. Ex eadem plaga sicut e terra Gipps Land mihi adsunt specimina E tereticornis operculis conico-cylindraceis obtusis prædita, quæ præterea rore pruinoso superfusa sunt. Exemplaria ejusdem speciei ad rivum Duck River Woollsio collecta operculis hemisphæricis obtusissimis vix $1\frac{1}{2}'''$ altis gaudent. E. curvula, Sieb. in Spreng. Syst. iv. 195, e diagnosi nimis brevi ad quandam speciem E. viminali concatenatam vergit. E. viminalis, Hook. in Mitch. Trop. Austr. p. 157, fortasse E. tesselari tribuenda esset.

Eucalyptus odorata.

Behr & Schlecht. in Linnæa, xx. 547 & 657; Miq. Stirp. Nov. Holl. 33; E. cajuputea, F. M. in Miq. Stirp. Nov. Holl. 30; E. porosa, F. M. l. c. 36. (Sect. Rhytiphloiæ.)

Arborea, foliis alternis breviuscule v. modice petiolatis oblongo- v. angusto- rarius ovato- v. lineari-lanceolatis breviusculis coriaceis nitidulis concoloribus patulo-penniveniis, vena peripherica a margine remotiuscula, umbellis axillaribus lateralibusque solitariis v. terminalibus subpaniculatis tri- v. plurifloris raro multifloris, pedicellis calycis tubo sicut pedunculo tenui subæquilongis v. brevioribus, calycis tubo turbinato- v. obconico-semiovato longitudinem operculi conico- v. rarius depresso-hemisphærici mutici v. apiculati subæquante v. fere duplo excedente exangulato, *antheris minutis* subrotundis, v. paucis exterioribus majusculis cordato-reniformibus, stigmate styli latitudinem vix v. paulo superante, fructibus semiovatis vix v. leviter angulatis 3–5-loculatis, margine verticis tenui, valvis inclusis brevibus, *seminibus parvis* apteris, *fertilibus cancellatis.*

In collibus præsertim calcariis prope montes Flinders Ranges et prope sinus Spencer's Gulf et St. Vincent's Gulf.

Arbor minor v. mediocris, "Peppermint-tree" in colonia Adelaidensi nominata. Cortex sordide cinereo-fuscus, rugosus et rimulosus, tam in trunco quam in ramis persistens. Ramuli juniores apice angulati. Folia $2\frac{1}{2}$–5″ longa, 3–9‴ lata, sæpe pellucide punctata, acumine tenui curvato terminata. Pedunculi $1\frac{1}{2}$–6‴ longi, subangulati. Pedicelli obliterati vel brevissimi v. usque ad 3‴ longi, sursum gradatim in calycem desinentes. Alabastra circiter 3‴ longa. Operculum $1\frac{1}{2}$–2‴ latum. Filamenta pertenuia, exteriora 2–3‴ longa. Antheræ $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{6}$‴ longæ. Stylus pæne 2‴ metiens, satis validus, sursum leviter incrassatus. Stigma convexum. Fructus pæne 3‴ longi, interdum fere hemisphærici; margo orificii erectus, acutus, ultra verticem capsulæ planum productus. Semina sterilia nitenti-fusca, in clavatam et rhombeam formam vergentia, $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}$‴ longa.

Species simillima per Australiam felicem et Novam Angliam provenit, quæ habitu et cortice non differt, ramulos autem habet sæpe teretiusculos et tenuiores, folia chartacea opaca non raro in falcatum formam vergentia, flores magis frequenter paniculos, antheras fugaces truncatas, stigma peltatum latitudinem styli duplo excedens, fructus ore magis contractos. Hæc species sistit Eucalyptum piperitam, Miq. Stirp. Nov. Holl. 41. Utraque species, quantum scimus, nec alpes Australiæ nec Tasmaniam incolit, E. Leucoxylon et E. viminalem affinitate attingit. Ambabus finitimam consideravi E. polyanthemam, Schauer in Walp. Repert. ii. 924, in variis locis Australiæ felicis provenientem, foliis latioribus sæpe rhombeo-orbicularibus v. late ovatis primo visu quidem divellendam, nec cortice, nec plerisque aliis notis, nec glaucedine tuto distinguendam.

E. populnea, F. M. in Proceed. Linn. Soc. iii. 93 (E. populifolia, Hook. in Mitch. Trop. Austr. 204, Icon. Plant. 879) huic sine dubio valde propinqua. E. dealbata, A. Cunn. in Walp. Rep. ii. 924 (E. albens, Miq. Stirp. Nov. Holl. 42), quæ montem Remarkable et flumina Broken River et Snowy River versus nec non in Nova Anglia obvenit, seriei Rhytiphloiarum pertinet, cortice pallidiore, foliis majoribus opacis glaucescentibus v. cinerascentibus, floribus fructibusque majoribus et operculo longiore et acutiore, vix autem ullo alio signo ab E. odorata discriminatur. E. Behriana, transitum offert ab E. odorata ad E. gracilem, cui vix dubie E. fasciculosa adscribenda. E. fasciculosa, si probe cum E. gracili conjuncta, hanc speciem in seriem Leiophloiarum trahit, et inter eas congeneres modo frutescentes, modo arborescentes ponit.

Eucalyptus alpina.

Lindl. in Mitch. Three Exped. ii. 175; Annal, Scienc. Natur. xvii, 57; Walpers Repert. Bot. Syst. ii. 925.

Fruticosa, ramulis robustis teretiusculis, *foliis* alternis valide petiolatis *crasso-coriaceis oblongo- v. lato- v. orbicolari-ovatis obtusis v.* emarginatis apiculatis concoloribus nitidulis patulo impressoque penniveniis imperforatis, vena peripherica a margine recurvulo dissita, *umbellis sessilibus capitatis* bi- usque quinquefloris axillaribus lateralibusque nunc ad unicum florem reductis, *operculo verrucoso* pæne semiovato v. hemisphærico mutico longitudinem tubi fere semiglobosi primum tuberculati vix æquante latitudine ejusdem superato v. æquato, antheris subcordatis, fructibus majusculis pæne hemisphæricis ecostatis, margine verticis leviter convexo capsulam quadri- usque sexlocularem latissime cingente, valvis semiexsertis deltoideis, seminibus apteris.

In summitate alpestri montis William tractus Grampians, altitudine 5000′ supra mare. Thomas Mitchell, Eques.

Frutex validus, amplus, pluripedalis. Innovationes viscidæ. Petioli 4–8‴ longi. Folia 2–3½″ longa, 1–2″ lata, basi valde obliqua; venæ primariæ tenues, distantes. Calycis tubus 2–3‴ longus, sæpe saltem ante florescentiam inæqualiter sulcatus et tuberculis præsertim circum marginem onustus. Operculum rugoso-tuberculatum, coriaceum, statu prorsus explicato me nondum visum. Antheræ circiter ⅓‴ longæ. Filamenta albida, desiccatione flavidula. Fructus perfecte maturi 8–10‴ lati, 4–6‴ alti, ætate costis tuberculisque sæpe privati; margo verticis 1½–2‴ latus, nonnunquam paulo canaliculatus; vertex capsulæ leniter convexus; valvarum pars emersa 1‴ paulo excedens; dissepimenta antice acuta. Semina sterilia ⅔–1‴ longa, fere rhombea v. clavata; fertilia ovato- v. truncato-rhomboidea, nigrita, lucida, 1⅓‴ circiter longa, pæne lævia.

Species ratione florum fructuumque quibusdam E. Globuli varietatibus accedens, habitu E. pachyphyllam æmulans.

Eucalyptus Globulus.

Labill. Voy. à la Recherche de La Pérouse, i. 153, t. 13; Nov. Holl. Plant. Specim. ii. 121; Cand. Prodr. iii. 220; Spreng. Syst. Veg. ii. 500; Don Gen. Syst. ii. 820; J. Hook. Fl. Tasmaniæ, i. 133; F. M. in Miq. Stirp. Nov. Holl. 44; E. cordata. Miq. l. c; E. diversifolia, Miq. l. c. 45; E. heterophylla, Miq. l. c. (Sect. Leiophloiæ.)

Præexcelsa, ramulis apice tetragonis, foliis propaginum juniorum subcordatis oppositis, ceteris alternis longe v. modice petiolatis coriaceis concoloribus nitidulis e basi pæne oblonga sensim subfalcato acutatis v. angusto-lanceolatis elongatis prominulo patentimque penniveniis, vena peripherica a margine dissita, floribus axillaribus solitariis geminis ternisve sessilibus v. pedunculo brevi lato compresso prædítis, pedicellis nullis, *alabastris pruinosis verrucosis corrugatis v. sublævibus, operculo duplice, exteriore tenuiore, calycis*

tubo pæne hemisphærico- v. obpyramidato-turbinato angulato v. paucicostato *longitudinem operculi interioris depresso-hemisphærici v. depressissimi subito e centro crasse umbonati subæquante*, filamentis elongatis, antheris subovatis, fructibus majusculis pæne hemisphæricis v. depresse turbinatis 4–6- raro 3-loculatis, *canaliculæ præangusta marginem verticis* latum depressum v. leniter convexum *a tubo calycis separante*, vertice capsulæ emerso convexiusculo, valvis deltoideis, seminibus apteris.

In vallibus et devexis humidis montium silvaticorum a sinu Apollo Bay usque trans promontorium Wilsoni, inde iterum passim gregarie usque ad montes Buffalo Range extendens, in altitudines frigidiores ascendens. F. M. In parte australiore Tasmaniæ. Labillardière. In insula Flindersii. Gunn.

Arbor insigni celeritate accrescens, nomine "Tasmanian Blue Gum-tree" nunc per orbem terrarum notissima, inter maxime colosseas regni plantarum numeranda, altitudinem 300′ raro quidem casu attinens, longitudine vero 200′ haud infrequenter superbiens, nihilominus in collibus petræis litoralibus impetui tempestatis fere constanter subjectis (e.g. ad promontorium Wilsoni) fruticeta densa copiose florentia et frutificantia formans. Truncus, laminis corticis exterioribus semper cito degluptis, lævis, cinerascens, nonnunquam cortice antiquo paulo fibroso basi circumdatus. Lignum durum, ponderosum, utilissimum. Ramuli satis validi, angulosi, propaginum juniorum singulariter tetragoni et albicantes. Folia arboris plus minusve evolutæ sæpius pluripollicaria, passim paucipollicaria, rarius ultra pedem longa, basi obliqua acutiuscula v. obtusiuscula, inferne 1–2″ lata, frequentius imperforata quam pellucide punctata, in acumen tenue utplurimum cito defractum producta. Folia propaginum juniorum basi amplexantia, apice apiculata v. breviter acuminata, undique pruinoso-albicantia, ob teneriorem compagem sæpe pellucenter punctata, 3–5″ longa, $1\frac{1}{2}$–3″ lata. Bractea caducissima, coriacea, e duabus ovatis acuminatis semiconnatis constans, florem juvenilem amplexans, fulvida, lævis, 4–6‴ longa. Calycis tubus 3–8‴ longus. Operculum exterius, optime monente Oldfieldio, caducum, fragile, tenue, immerso-glandulosum, paulo reticulari-venosum, interiori æquilatum. Operculum interius coriaceum, 2–6‴ altum, $\frac{1}{2}$–$\frac{3}{4}$″ rarius tantum $\frac{1}{3}$″ latum. Filamenta dilute flavescentia, capillari-filiformia, longiora 5-8‴ longa, raro breviora. Antheræ circiter $\frac{1}{3}$‴ longæ, versatiles, glandula majuscula munitæ. Stylus crassiuscule filiformis, paucas lineas longus. Stigma convexum, stylo vix crassius. Fructus frequenter fere pollicem lati, nonnunquam autem ad latitudinem semipollicarem reducti, plus minus anguloso-costati ; margo primum fere erectus, capsula accrescente expansus. Semina sterilia fusca, alia clavato-filiformia et circiter 1‴ longa, alia breviora et rhombea et trapezoidea ; fertilia obliquo- v. rotundo-ovata, atra, opaca, 1–$1\frac{1}{3}$‴ longa, vix conspicue rugulosa.

In herbario nostro conservavimus exemplaria cujusdam Eucalypti prope urbem Sydney cultæ ibidemque "Blue Gum-tree" vocatæ, præcedenti speciei quam maxime finitimæ, cujus discrepantiæ eo continentur, quod folia sint tenuiora, minora, subtilius venosa eorumque vena peripherica a margine fere semper paulo remota, pedunculi satis elongati, alabastra lævia ecostata, operculum hemisphæricum sensim acutiuscule cuspidatum, margo verticis magis convexus non canalicula manifesta a tubo sejunctus, valvæ longiores, denique semina nitida angulosa. Utrum hæcce planta speciem seorsam, an solam varietatem sistat, futuræ observationes patefacere debent. Hæc autem, quantum e speciminibus tantum fructiferis judicare audeo, suis notis prorsus concurrit cum characteribus ejus Eucalypti, quæ ad sinum Wilson's Inlet Novæ Hollandiæ austro-occidentalis nascitur, et forsan ad arborem "Blue Gum-tree" juxta flumina Franklin River et Deep River obviam pertinet. Huic speciei nomen *E. megacarpæ* attribuere velim. Alteram adhuc speciem austro-occidentalem in viciniam E. Globuli duco. Cognoscitur fructibus sæpe paulo ultra pollicem longis subturbinatis ecostatis, vertice impressis, lenissime aut vix conspicue circum marginem extus canaliculatis, supra valvas turgentibus, sæpe geminatim v. ternatim pedunculo satis longo teretiusculo sive non valde compresso portatis, seminibus nullis tenui-clavatis, sed plerisque compressis fere semiorbiculatis, fertilibus sterilibusque ferme conformibus. Huic ultimæ speciei, paulo ad E. Preissianam accedenti, significatio *E. plurilocularis* idonea erit.

Eucalyptus pulverulenta.

Sims Bot. Mag., 2087. (Sect. Pachyphloiæ.)

Arborea, *pruinoso-glauca, foliis oppositis sessilibus* tenui-coriaceis v. chartaceis cordato- v. orbiculari- v. oblongo-ovatis v. late cordatis basi amplexantibus præpatentim penniveniis reticulari-venulosis, vena peripherica a margine remota, umbellis axillaribus lateralibus et terminalibus solitariis v. subpaniculatis sæpius trifloris nunc 4–7-floris, pedicellis calycis tubo subæquilongis v. brevioribus longitudine pedunculi superatis, calycis tubo semiovato v. late obconico exangulato longitudinem operculi pæne hemisphærici acutiusculi v. breviter acuminati estriati vix excedente, filamentis flavescentibus, antheris subovatis, fructibus parvulis semiovatis v. pæne semiglobosis tri- v. quadriloculatis, margine verticis tenui, *valvis tenuibus subexsertis* deltoideis, seminibus apteris.

In vicinia fluminis Lachlan oppidum Bathurst versus ; nec non ad lacum Georgii.

Arbor mediocris. Cortex squalide cano-fuscus, in ramis et trunco persistens, satis fibrosus. Ramuli juniores apice tetragoni, mox teretiusculi. Folia 1–4″ longa, $\frac{2}{3}$–2″ lata, fere semper imper-

forata. Pedunculi graciles, angulati. Pedicelli teretiusculi v. angulosi, tenues v. crassiusculi. Umbellæ sæpe oppositæ, foliorum autem lapsu laterales fiunt. Calycis tubus $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}'''$ longus. Filamenta capillaria, longiora 4–6‴ metientia. Antheræ $\frac{1}{5}$–$\frac{1}{3}'''$ longæ. Stylus pæne sesquilineam æquans, angulatus, stigmate minuto convexo terminatus. Fructus 2–3‴ longi; vertex capsulæ convexus; valvæ tenuioris consistentiæ, quam eæ plerarumque congenerum, circiter 1‴ longæ, medio scilicet septiferæ; disepimenta acutiuscula. Semina sterilia fulva, $\frac{1}{3}$–$\frac{3}{4}'''$ longa, plus minus clavata v. rhombea; fertilia circiter 1‴ longa, nigrescentia, ovata, opaca, latere ventrali planiuscula v. concava, latere dorsali convexa.

Distribui antea hancce speciem sub nomine E. cinereæ, quippe quæ signa ex icone citata patent, ad recognitionem stirpis Siemsii non sufficiant. E. spodophylla systematice divellitur ab E. pulverulenta jam corticis textura et staminum brevitate.

Orchideæ.

Sturmia cœlogynoides.

(Sect. Cestichis.)

Caulibus brevibus pseudobulbeis bi-triarticulatis mono- v. diphyllis, articulis truncato- v. quadrato-ovatis, *foliis chartaceis prominenter multinerviis* lanceolatis acuminatis in basin petiolarem longe angustatis, pedunculo ancipite, racemo pluri- v. multifloro, bracteis submembraneis lanceolatis subulato-acuminatis pedicellos subæquantibus, sepalis florum parvorum lanceolatis, petalis linearibus, *labello membraneo securiformi flabellato-venoso vix calloso antice eroso-crenulato.*

In silvis primævis ad flumen Clarence River. Dr. Beckler.

Rhizoma prorepens, fibrillas filiformes plurimas magis minusve elongatas producens. Caules e rhizomate plures, ex articulis tereti-compressis constantes, quorum imus $\frac{1}{2}$–1″ longus et in statu saltem recente lævis, alter superioresve breviores. Vaginæ caules circumclaudentes, primum equitantes, pallidæ; infimæ nervosæ, membraneæ, $\frac{1}{3}$–1″ longæ et latæ, fere deltoideæ, ætate in filorum copiam mutatæ; superiores foliaceæ, complicato-semilanceolatæ, 1–$2\frac{1}{2}''$ longæ. Folia basi cum articulis caulis articulata, digitum usque spithamam rarius pedem longa, angusto- v. elongato-lanceolata, acute et minus gradatim in apicem quam in basin angustata, nervis plurimis alternatim crassioribus striata, $\frac{1}{2}$–1″ lata. Pedunculi terminales, solitarii, addito racemo pedales, rarius longiores frequentius breviores, graciles, bracteis paucis lanceolato-linearibus subulato-acuminatis alternantibus $\frac{1}{2}$–1″ longis muniti. Racemus 3–8″ longus. Bracteæ lanceolatæ, subulato-acutatæ, margine incurvæ, superiores circiter 3‴ longæ, inferiores non raro ad longitudinem semuncialem et majorem elongatæ. Pedicelli floriferi tenuissime filiformes, fere capillares, germine conspicue longiores,

pæne 3‴ longi; fructiferi demum semunciales. Sepala membranea, circiter 3‴ longa, acuta, libera v. nonnunquam invicem agglutinantia, cum petalis in statu sicco albida. Labellum sepala subæquans, in unguem utrinque paulo dilatatum transiens, inferne flavescens. Columna incurva, cernua, vix 2‴ longa, inferne angusta et semiteres, ad stigma paulo ampliata. Antheræ terminalis, mobilis, bilocularis. Polliniorum paria duo, erecta, oblique ovata, flava, $\frac{1}{4}$‴ longa, ceracea. Capsulæ clavato-ellipsoideæ $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}$″ longæ.

Sturmia reflexa (Liparis reflexa, Lindley in Bot. Reg. 882; Cymbidium reflexum, R. Br. Prodr. 331) secundum specimem prope Parramatta a clar. Woolls collectum, folia habet minus prominenter nervata, in statu sicco magis membranea, flores fere duplo majores, labellum quadrato-obovatum antice haud denticulatum, inferne evidenter callosum.

Bolbophyllum exiguum.

Pygmæum, glabrum, rhizomate tenui-filiformi ramoso repente, *caulibus pseudobulbeis* uniarticulatis pyramidato- v. globoso- v. cylindrico-*subovatis angulosis sulcatis rugosis monophyllis*, folio angusto- v. ovali-lanceolato chartaceo breviter tenuiterque petiolato, *pedunculis subbifloris pedicellisque capillaribus*, bracteolis perminutis, sepalis membraneis, lateralibus e basi subovata lanceolato-acutatis, supremo lanceolato, petalis tenerrime membraneis ovatis obtusis sepala vix semiæquantibus, *labelli lævigati lobis lateralibus perminutis semiorbiculatis integerrimis, lobo medio teretiusculo* parum acuto recurvo inferne canaliculato.

In truncis arborum muscosis silvarum ad Illawarra, T. Shepherd; oppidulum Parramatta versus in loco Foxground, W. Woolls; secus flumen Clarence River, H. Beckler.

Rhizoma tenui-filiforme, ad nodos gracili-fibrillosum et pseudobulbos solitarios 3–8‴ longos producens. Folia acutiuscula, solitaria, pseudobulbum terminantia, striato-nervulosa, $\frac{2}{3}$–2″ longa, 2–4‴ lata, supra nitentia, subtus pallidiora. Pedunculi ex ipso rhizomate et sæpe juxta basin pseudobulborum egredientes, 1–$2\frac{1}{2}$″ longi. Pedicelli $1\frac{1}{2}$–4‴ longi, basi bracteola lanceolato-ovata acuminata vix 1‴ metiente suffulti. Sepala circiter $2\frac{1}{2}$‴ longa, extus fuscescentia, lateralia scilicet ungui columnæ adnata. Petala statu exsiccato pallida. Labellum tenuissime unguiculatum, carnosum, recurvum, circiter 2‴ longum, lobis obtusis flavescentibus vix carnosis circiter $\frac{1}{2}$‴ longis basi auriculatum. Columna brevissima, antice minutim bidentata. Anthera opercularis, decidua, $\frac{1}{4}$‴ longa, unilocularis, terminalis, membranea. Polliniorum paria subglobosa, leviter compressa, pellucide flavida. Capsula ellipsoidea, circiter 4‴ longa. Semina pæne $\frac{1}{8}$‴ longa, livida, utrinque acuta.

Juxta B. pygmæum seriei systematicæ inseratur.

Fasciculus XII. editus Maj. 1860.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

XIII.

Viniferæ.

Vitis cardiophylla.

(Sect. Cissus.)

Subglabra, cirrosa, stipulis subovatis, *foliis simplicibus herbaceis subcordatis acuminatis integerrimis* longiuscule petiolatis subtus parum pallidioribus, *umbella composita* breviter pedunculata, umbellulis pluri- v. multifloris, pedicellis tenuibus brevibus, floribus hermaphroditis, calyce truncato, petalis quatuor calyptratocohærentibus, filamentis brevibus, stylo pæne filiformi longitudinem ovarii subæquante, stigmate parvo truncato.

In nemoribus ad oppidum Rockhampton. Thozet.

Ramuli saltem exsiccatione angulati. Cirri paucipollicares, sæpe simplices. Petioli 1–2″ longi. Folia 2–4 pollices metientia. Pedunculi primarii circiter semunciales, secundarii paucilineares. Pedicelli 1–2 lineas longi. Bracteolæ minutæ, ciliolatæ. Alabastra late-ovata. Calyx semilineam longus. Petala semilanceolata, pæne 1‴ longa. Filamenta subulata, circiter ½‴ longa. Antheræ minutæ, subovatæ. Stylus semilineam metiens, basi parum incrassatus. Bacca adhuc ignota. Species e manco specimine stabilita ampliore eget observatione.

Vitis nitens.

(Sect. Cissus.)

Glabra, ramulis angulatis, cirris simplicibus v. bifidis, *foliis trifoliolatis* modice v. breviuscule petiolatis v. subsessilibus, foliolis tenui-coriaceis subovatis v. rhombeo-ovatis acuminatis remote repando-serratis v. denticulatis supra nitentibus subtus pallidioribus, lateralibus brevissime medio breviuscule v. modice petiolulatis, *paniculis brevibus subsessilibus*, bracteis diu persistentibus deltoideo-ovatis rhombeisve, pedicellis umbellatis brevibus crassis pedunculisque puberulis, alabastris subovatis, floribus tetrapetalis

rarius pentapetalis, petalis liberis parum puberulis, staminibus corolla brevioribus, stylo brevissimo, *stigmate dilatato lobulato*, baccis ovatis majusculis, seminibus ovatis basi sensim attenuatis.

In silvis a flumine Burnett usque ad rivum Hastings. Beckler. F. M.

Frutex altior, scandens. Ramuli striati. Cirri pauci- v. pluripollicares. Petioli sæpius unciales. Foliola pleraque 2–3″ longa, glabra, exsiccatione fere chartacea, recentia paulo carnulenta, denticulis glanduloso-callosis remote notata, nervis lateralibus pertenuibus valde divergentibus percursa, subtiliter venosa; foliolum medium petiolulo paucilineari v. subunciali præditum. Stipulæ fere triangulares, callum arcuatum relinquentes. Panicula 1–2″ longa, pluri- v. multiflora. Pedunculus primarius brevis vel obliteratus, bracteis fere sesquilineam longis præditus ; pedunculi secundarii ut plurimum gemini, sesqui- ad paucilineares, sæpius iterum divisi. Pedicelli circiter 1‴ longi, basi minutim bracteolati. Flores bisexuales. Calyx brevissimus, obscure repando-lobatus. Petala circiter $1\frac{1}{3}$‴ longa, semilanceolata, apice conspicue cucullata. Stamina circiter lineam longa. Filamenta lineari-filiformia. Antheræ minutæ, flavæ, subovatæ. Discus tantum basin germinis cingens. Stigma subsessile, circa $\frac{1}{2}$‴ latum, quadrilobulatum, papillosulum. Bacca nigrescens, circiter $\frac{2}{3}$″ longa. Semina 4–6‴ longa, non subito in basin attenuata, rugulosa.

Vitis clematidea.

(Sect. Cissus.)

Ramulis angulatis striatis, cirris bifidis, *foliis glabris pedatofoliolatis* longe petiolatis, stipulis lineari-subulatis, *foliolis herbaceis rhombeo- v. lanceolato-ovatis acuminatis grosse serratis* v. lobatis, medio longe petiolulato, lateralibus in petiolulo diviso geminis ternisve passim profunde incisis, paniculis longe pedunculatis bi- v. trichotomis puberulis, pedicellis plerisque perbrevibus cymosis, alabastris subglobosis, floribus hermaphroditis tetrapetalis, staminibus corolla brevioribus, stylo filiformi, stigmate minimo, baccis parvis subglobosis, seminibus lato- v. cordato-ovatis.

In Australia boreali et orientali tropica et extratropica, hinc usque in Novam Angliam progrediens.

Stirps altior. Cirri bi- v. paucipollicares. Petioli 1–$1\frac{1}{2}$″ longi. Stipulæ diu persistentes, circa 2‴ longæ. Foliola $\frac{3}{4}$–2″ metientia, subtus parum pallidiora. Pedunculi sæpe biunciales. Petala viridula, 1‴ paulo breviora. Antheræ subovatæ, flavæ. Stylus circiter $\frac{1}{2}$‴ longus. Bacca pisi majoris magnitudine, nigrescens, succulenta. Semina circiter 2‴ longa, nuńc lævia, nunc rugosa. Endopleura in plicas albuminis intrans.

V. lanceolariæ propinqua.

Vitis psoralifolia.

(Sect. Cissus.)

Cano-pubescens v. glabriuscula, cirris bi- v. trifidis, *foliis trifoliolatis* longiuscule petiolatis, stipulis oblongo- v. ovato-lanceolatis, *foliolis herbaceis rhombeo- v. obliquo-ovatis obtusis crenato-dentatis*, medio modice petiolulato, lateralibus breviter v. brevissime petiolulatis, paniculis longe pedunculatis subtrichotomis puberulis, pedicellis plerisque perbrevibus cymosis, alabastris subglobosis, floribus hermaphroditis tetrapetalis, staminibus corolla brevioribus, stylo filiformi, stigmate minuto, baccis depresso-globosis.

In nemoribus ripariis ad fluvium Victoriæ.

Præter notas indicatas V. clematideæ finitima, vix autem ejus varietas consideranda.

Vitis acris.

(Sect. Cissus.)

Ramulis tomento albido pubescentibus, cirris longis simplicibus v. bifidis, stipulis deciduis, *foliis trifoliolatis longe petiolatis, foliolis conspicue petiolulatis herbaceis oblique v. rhombeo-ovatis acuminatis* repando-crenatis supra parcius subtus densius albido-pubescentibus, paniculis longe pedunculatis di- v. trichotomis, pedicellis breviusculis capillaribus subumbellatis, floribus hermaphroditis, calyce truncato, *petalis quatuor extus subvelutino-puberulis*, stylo brevi conico, stigmate minuto integro.

Ad flumen Richmond in virgultis silvaticis. Dr. H. Beckler. Ad rivulos montium prope originem fluviorum Burnett et Pine River. F. M.

Ramuli ætate glabrescentes, sapore acres. Petioli $1\frac{1}{2}$–3″ longi. Stipulæ vix 1‴ longæ. Foliola utplurimum 2–3″ longa, penninervia, venulosa, crebre pellucido-punctulata, lateralia petiolulo semiunciali v. paucilineari prædita, supremum petiolulo duplo longiore donatum. Pedunculus primarius 4–5″ longus, glabriusculus ; pedunculi secundarii fere unciales, ultimi breviores. Pedicelli sæpe 2–3‴ longi, basi minutim bracteolati. Calyx ciliolatus, perbrevis. Petala 4 rarius 3, circiter 1‴ longa. Filamenta brevia. Antheræ flavæ, ante dehiscentiam ovato-cordatæ. Baccæ desunt.

Sapindaceæ.

Cupania stipata.

(Sect. Schmidelia.)

Foliis pinnatis paucifoliolatis, *foliolis coriaceis glabris lanceolatis integerrimis* prominenter penninerviis fere concoloribus in basin et apicem sensim acutatis subtus nitidulis lineolas punctave nulla pellucida gerentibus, racemis paniculatis, pedunculis pedicellisque subvelutino-puberulis, calycis parvi lobis deltoideis, *capsulis*

lignescentibus late trigono-pyriformibus subito in stipitem valvis aliquoties breviorem v. brevissimum desinentibus triloculatis extus intusque glabris, seminibus ovatis nitenti-spadiceis arillo tenui obductis.

Ad fluvium Clarence River. Dr. Herm. Beckler.

Arbor mediocris. Foliola 2–4″ longa, $\frac{2}{3}$–1″ lata, breviter petiolulata, sæpe alterna, reticulari venosa. Panicula plus minus ampla. Calyx linea brevior. Ceteræ floris partes ignotæ. Fructus circiter semunciam longi, prorsus maturi trivalvatim loculicide dehiscentes, primum stylo rostellati, extus nigro-fusci, intus rufescentes ; loculus unus alterve passim vacuus. Semina ovata, circiter 3‴ longa, ex maxima parte arillo inclusa.

Species ad Cupaniam (Schmideliam) anodontam, magis etiam ad C. pyriformem accedens.

Pittosporeæ.

Ixiosporum.

Calyx deciduus. Flores ignoti. Germen uniloculare. *Gemmulæ numerosæ, placentis quinque parietalibus affixæ* ope funiculorum biseriatorum. *Bacca exsucca, cava, parce grumoso-pulposa, polysperma.* Pericarpium crasso-coriaceum. Semina viscidula, in funiculis gracilibus horizontalia, rotundo- v. ovato-reniformia immarginata, aptera, irregulariter angulata, compressa. Testa tenuis. Embryo prope basin albuminus cornei minimus.

Frutex Australiæ orientalis subtropicæ, ramulis passim spinescentibus, foliis sparsis vel fasciculato-confertis parvis chartaceis integerrimis raro obscure paucidentatis, baccis magnis subglobosis graveolentibus.

Genus Citriobato finitimum, jam calyce haud persistente, baccis parce pulpiferis, pluralitate placentarum et multitudine seminum minus turgidorum ad amussim distinctum.

‹ *Ixiosporum spinescens.*

Citriobatus megacarpus, F. M. coll.

In virgultis ad flumen Fitzroy, Thozet ; prope flumen Dawson, F. M.

Frutex altior. Ramuli fulvescentes, tomentelli vel in modum eorum Citriobati multiflori verruculoso-asperuli, teretiusculi, patentes v. divaricati, sæpe abbreviati et in spinas basi foliatas mutati. Folia glabra, 3–10‴ longa, petiolo perbrevi donata, cuneato-obovata, rarius in rhombeam v. rotundam formam vergentia, apice rotundato-obtusa v. bilobo-emarginata v. apiculata v. cuspidulata, margine plana, supra utplurimum nitidula, subtus opaca, uninervia, venulosa. Flores fortasse axillares et solitarii. Germen sessile, indumento tenuissimo e fulvo canescente vestitum. Bacca uncialis v. sesquiuncialis, extus rugulosa. Funiculi denique plures lineas longi,

subsetacei. Pulpa cavitatem fructus imperfecte explens. Semina $1\frac{1}{2}$–$2'''$ longa, castaneo-fusca, nitentia.

Citriobatus multiflorus et C. pauciflorus fortassis formas unius speciei sistunt, et tunc appellatione Citriobati Cunninghami combinari possint, quum illa nomina specifica quasi negent, flores sigillatim esse dispositos.

Hymenosporum.

R. Br.

Sepala quinque, libera, parum inæqualia, basi paulo tumescentia, ætate decidua, præfloratione imbricata. Petala quinque, æqualia, demum decidua, unguibus lamina longioribus initio in tubum cohærentibus præfloratione valvatis, laminis æstivatione imbricatis. Stamina quinque, sepalis opposita, petalis alterna, libera. Filamenta linearia, apice subulata. Antheræ oblongo-sagittatæ, dorso juxta sinus basalis apicem cum filamento junctæ; loculi introrsum rima longitudinali dehiscentes. Pollinis granula sphæroidea, orificiis tribus protuberantia. Germen lineari-ellipsoideum, elongatum, biloculatum, multigemmulatum. Stylus filiformis. Stigma bilobum. *Capsula subchartacea, perfecte biloculata*, loculicide bivalvis. *Semina numerosissima, nullo visco obducta, horizontaliter arctissime conferta, complanata, alata*, funiculis brevibus margini septorum biseriatim affixa. Testa lucens. Albumen cartilagineo-corneum. Embryon umbilico proximum, minimum.

Frutex ornans, arborescens, Australiam orientalem subtropicam inhabitans, sempervirens, inermis, Pittospori facie, foliis magnis chartaceis lanceolatis v. obovato-lanceolatis acuminatis glabrescentibus sparsis et in ramulorum apice subverticillatis, pedunculis cymoso- v. subumbellato-plurifloris v. multifloris, pedicellis sparse et decidue bracteolatis, corollis magnis extus sericeo-velutinis intus e pallide flavo demum saturate luteis, filamentis sericeo-tomentellis, capsulis grandiusculis stipato-attenuatis sæpe ante maturitatem labentibus, seminibus utrinque serie unica utrumque loculum explentibus.

Genus Brownio indicatum sed nullibi descriptum, floribus monente Hookerio satis in Pittosporum quadrans, nihilominus fructus structura et præprimis seminum indole propriam positionem genericam vindicans. Complanatione et dispositione seminum Hymenosporum comparari potest Homalosporo lineato (Fragm. Phyt. Austr. i. 217), absquo veluti ab omnibus plantis ordinis, testa circum uncleum in alam late expansa divellitur.

Hymenosporum flavum.

Pittosporum flavum, Hook. Bot. Mag. 4799.

Ad torrentes silvarum; e. g. prope portum Stephens. P. P. King; secundum flumina McLeay, Hastings et Clarence River, H. Beckler; ad fluvia Brisbane et Burnett River. F. M.

Arbuscula celeriter crescens, toto vere florens. Cortex trunci cinereo-nigrescens, rugulosus. Rami teretes, glabrati. Ramuli breviter patentimque pubescentes. Folia in petiolum uncialem v. breviorem sensim angustata, 2–6″ longa, 1–2½″ lata, plana, integerrima v. rarissime grosse et acute paucidentata, patentinervia, reticulari-venosa, recentia supra saturate viridia et splendore prædita, subtus pallidiora et nitoris expertia, cito glabrata, exsiccatione perfacile secedentia. Fasciculi vasorum spiralium tres in cicatrice fere deltoidea. Pedunculi terminales, sat graciles, teretiusculi, bi- usque tripollicares, sæpius etiam breviores. Pedicelli ½–2″ longi, cylindracei, cum pedunculis tenuiter pubescentes. Bracteolæ herbaceæ, puberulæ, lanceolato-lineares; ima ½–1 pollicaris, pedicello opposita; ceteræ paucæ partem inferam pedicelli sparsim occupantes. Sepala 3–4‴ longa, a basi latiore sensim lineari-lanceolata, extus parce tenuiterque pubescentia. Ungues petalorum ¾–1″ longi, inferne circiter 1‴ superne ad 1½‴ lati, basi ob marginem inflexum concavi, cum lamina intus glabri, extus cano albidove sericei. Lamina ⅓–½″ longa, rhombeo-ovata, apiculata v. brevissime acuminata, patens. Filamenta longitudine unguium, apicem versus glabra. Antheræ luteæ, 1–1½‴ longæ. Pollen flavum. Germen cylindraceum, leviter compressum, sursum paulo incrassatum, apice acutum, basi obtusum, undique cano-sericeum. Stylus persistens, 1½–2‴ longus, glaber, filiformis. Stigmatis lobi breves, fere semiovati, demum patentes. Capsula in stipitem validum 2–6‴ longum attenuata, glabrescens, fuscescens, præter stipitem 1–1½″ longa, circiter pollicem lata, subrotunda v. ovato-rotunda, modice compressa. Valvæ dorso longitudinaliter impressæ, sed ibi non rumpentes, subcoriaceo-indurantes nec lignescentes, intus glabræ, ætate basi tenus disjunctæ. Semina in loculis alternatim arcte invicem applicita, idcirco donec capsula dissilit, quasi unicam seriem (Homalospori instar) in quolibet loculo struentia. Funiculi setacei, vix ultra lineam longi nisi breviores, superne dilatati. Semina fusca; nucleus pæne reniformis, 2–3‴ longus, valde compressus, ala cellulosa 1–1½‴ lata sed prope umbilicum angustiore margine leniter canaliculata v. incrassata circumvallatus.

Oncosporum bicolor hac occasione ad Marianthum (scil. nomine M. bicoloris) duco, valvis septifragis tantummodo a quibusdam congeneribus discrepans.

Pittosporum ovatifolium.

Arborescens, ramulis velutinis, foliis in apice ramulorum confertis, summis verticillaribus, omnibus ovatis glabris tenui-coriaceis venosis basi acutis apice breviter acuminatis margine undulatis subrepandis supra nitentibus subtus opacis, umbellis paucifloris corymboso-confertis terminalibus, *capsulis parvis compressis orbi-*

culari- v. cordato-reniformibus bivalvibus coriaceis pedicello angulato æquilongis oligospermis, seminibus atro-rubris.

In clivis siccis insulæ Albany Island Australiæ septentrionali-orientalis.

Arbuscula sempervirens. Folia $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}''$ longa, $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{2}''$ lata, petiolo sæpe semunciali prædita. Pistillum persistens. Flores non reperti. Valvæ capsularum circiter $3'''$ longæ et $4'''$ latæ, subaurantiacæ. Semina angulata, circiter $1\frac{1}{2}'''$ longa.

P. Zeilanico et P. rhombifolio propinquum.

Cheiranthera tortilis.

Elatior, ramis flexuosis subvolubilibus, foliis angusto-linearibus acutis subcanaliculatis, *antheris longitudinem dimidiæ corollæ fere excedentibus* quinquies sexiesve longioribus quam latioribus basi subsagittatis.

In Nova Hollandia austro-occidentali.

Stirps glabra, quantum e frustulo herbarii nostri judicandum, C. lineari valde finitima, forsan autem altitudine præ eo excellit. Rami graciles, sæpe geminati. Folia uncialia v. breviora, præangusta. Corymbi terminales, pauciflori. Sepala lanceolata, circiter sesquilineam longa, ciliolata. Petala probabiliter cyanea, lanceolata, acuta. Filamenta lineam longa. Antheræ flavæ, circiter $4'''$ longæ. Stylus setaceus, adscendens, sesquilinearis. Germen glabrum, brevissime stipitatum. Capsulæ desunt.

Tiliaceæ.

Aristotelia Australasica.

Ramulis tenui-pubescentibus, foliis submembraneis late ovatis acuminatis breviter arguteque serratis subtus secus nervos pilosulis, floralibus brevissime cèteris longe petiolatis, *pedunculis terminalibus unifloris* geminis ternisve fructu aliquoties longioribus prope apicem articulatis, baccis rubris tri- usque quadri-loculatis, seminibus lividis lævibus, testa crustacea.

In montibus silvaticis ostium versus fluminis Clarence River. Dr. H. Beckler.

Frutex pluripedalis. Ramuli teretes. Folia opposita, remote penninervia, crebre venulosa, superne mox glabrata, subtus pallidiora, $1\frac{1}{2}$–$3''$ longa, 1–$2''$ lata. Petioli parce pubescentes, teretiusculi, foliorum floralium $1\frac{1}{2}$–$3''$ longi, ceterorum $\frac{1}{2}$–$2''$ metientes, cujusvis paris inæquilongi. Pedunculi in summis ramulis oppositis apice sæpissime par foliorum gerentibus terminales, tenui-filiformes, puberuli, demum glabrescentes saltem post anthesin ebracteati, flores adhuc ignoti. Calyx deciduus. Stylus diu persistens, linea brevior, stigmatibus ut videtur deciduis. Capsula globosa baccata indehiscens, sive bacca cava capsularis, 4–$5'''$ metiens, glabrata.

Pericarpium tenue. Dissepimenta fere membranea. Semina in loculis gemina superposita v. abortu solitaria, angulo centrali affixa, circiter sesquilineam metientia, indistincte tetraëdro-ovata seu obtusangule globoso-ovata. Strophiola nulla. Umbilicus ventralis. Albumen copiosum. Embryon albumine paulo brevius, orthotropum, axile, circiter 1‴ longum. Cotyledones planæ, ovales. Radicula cylindrica, cotyledonibus dimidio brevior et duplo angustior.

Species foliis ad A. racemosam, pedunculis ad A. pedunculatem approximans.

Specimen A. Moqui nostræ collectionis a Willdenowio nominatum et bene in iconem Lamarkii quadrans ostendit pedunculos plures uni-trifloros et stylos bi- et trifidos, quibus styli divisionibus loculi germinis numero respondent. In A. pedunculari vidi folia nonnunquam alterna longius breviusve petiolata et pedunculos axillares basi bracteato-squamatos. Friesia Chinensis potius ad Elæocarpum quam ad Aristoteliam pertinere videtur. A. fructicosa cum specie nostra confundi nequit.

Elæocarpus obovatus.

Don. Gen. Syst. i. 559.

Glaber, foliis chartaceis v. tenui-coriaceis oblongo- v. obovato-lanceolatis distanter repando-crenulatis breviter v. brevissime petiolatis apice obtuse acuminatis basi cuneatis tenuiter reticulato-venosis, racemis confertis parvifloris, sepalis quinque acutis pedicellos longitudine subæquantibus, *petalorum lobis indivisis angustis obtusiusculis*, staminibus 16–18, filamentis glabris brevissimis, antheris subobtusis muticis imberbibus vix minutissime puberulis apice apertis, stylo brevi capillari germineque glabris, drupa parva globoso-ovata, putamine tuberculato-rugoso monospermo.

In silvis Australiæ orientalis a sinu Moreton Bay usque ad flumen Hastings. H. Beckler. F. M.

Arbor altitudinem 60′ attinens. Folia pleraque 2–4″ longa, $\frac{2}{3}$–1″ lata. Racemi axillares et laterales, nonnunquam ramosi, $1\frac{1}{2}$–3″ longi, breviter v. breviuscule pedunculati, mox glaberrimi. Pedicelli 1–2‴ longi, bracteola caduca lineari-subulata $\frac{1}{2}$‴ longa ad basin prædíti. Flores hermaphroditi. Sepala angusto-lanceolata, $1\frac{1}{2}$–2‴ longa, petalis paulo breviora, glabra, intus longitudinaliter unicostata. Petala alba, fere medio tenus laciniata. Antheræ flavæ, lineari-filiformes, subtetragonæ, circiter $\frac{2}{3}$‴ longæ. Stylus sæpe linea brevior. Drupa exsucca, 4–6‴ longa, extus cærulea. Putamen 3–5‴ longum, prædurum, lenius fortiusve rugatum, suppressione alterius loculi uniloculatum. Semina circiter 2‴ longa, subovata. Testa lævis, glabra, membranea, cano-fusca.

Persimilem nisi eandem speciem reperi statu fructifero ad flumen Fitzmaurice et montes Macadam Range.

E. cyaneus, qui a promontorio Wilsoni usque ad montem Lindsay et sinum Moreton Bay vergit, foliis densius reticulato-venosis crebrius crenulatis longius petiolatis, nec non floribus majoribus, lobis petalorum fimbriato-laciniatis et antheris mucronulatis præcipue distinguitur. E. parvifolius minutie florum cum nostra specie convenit.

E. obovatus, Arn. Pug. Plant. Ind. Orient 5, Nov. Act. Acad. Cæsar. Leop. Car. xxii. 323, nomine E. coriacei, in Hook. Icon. Pl. 152, accepti, salutandus erit.

Elæocarpus grandis.

Ramulis apice subsericeis, foliis glabris chartaceis v. tenui-coriaceis conspicue petiolatis oblongo- v. elliptico-lanceolatis obtusiusculis v. leniter acuminatis crebre repando-serrulatis conspicue reticulari-venosis, *racemis grandifloris*, sepalis quinque longe tenuiterque acuminatis pedicellos sericeos longitudine subæquantibus, petalis margine infero sericeo-velutinis, lobis fimbriato-laciniatis, staminibus 70–80, filamentis brevibus subsericeis, *antheris longis medio tenus dehiscentibus* acutiusculis parcissime sericeis setula una alterave brevi terminatis, stylo longo setaceo inferne germineque sericeis, drupa magna globosa.

Ad ripas nemorosas fluvii Pine River. Hill et Mueller.

Arbor excelsa. Ramuli apice angulati. Petioli $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}''$ longi. Folia pleraque 3–7″ longa, 1–$1\frac{3}{4}''$ lata, distanter penninervia, supra nitentia, subtus fere opaca. Racemi bi- usque tri-unciales. Pedicelli 4–5‴ longi, cum rachi cano-sericei. Flores hermaphroditi. Sepala circiter 5‴ longa, 1‴ lata, angusto-lanceolata, extus intusque parcissime sericea. Petala 6–7‴ longa, fere medio tenus laciniata, præter basin interiorem et marginem inferiorem glabra. Filamenta pluriseriata ; exteriora brevissima, interiora ad $\frac{2}{3}$ lineæ longitudinem passim elongata. Antheræ pertenues, lineari-filiformes, flavæ, ab apice medio tenus bivalvatim apertæ, præter setulas barbellamque apicis pæne 2‴ longæ ; valvula interior exteriore vix brevior. Stylus ferme semuncialis. Germen quinque-loculare, simul cum disco integro cingente cano-sericeum. Drupa saltem uncialis, amœne cœrulea, nitens.

E. serrulatus, secundum specimen Zeilanicum a clar. Thwaites communicatum, differt foliis longius petiolatis insigniter acuminatis, floribusque minoribus, antheris duplo brevioribus summitate tantum apertis setulas plures apice gerentibus et stylo graciliore. Fructus forsan ulteriores distinctionis notas præbebit.

Monocera et Beythia nil nisi Elæocarpi subgenera sistunt.

Præter species hic enumeratas nullæ hujus ordinis in nostra collectione vasta stirpium Australasicarum exstant ; aliæ autem in Australia boreali-orientali forsan adhuc inveniendæ sunt.

Saxifrageæ.

Geissois rubifolia.

Foliolis ternatis v. digitato-quaternatis quinatisve ovato-lanceolatis acuminatis argute serratis subtus secus nervos simul cum petiolis et inflorescentia hirsutis, bracteis ovatis longitudinaliter multiveniis, *racemis spiciformibus parvifloris* in pedunculo communi geminis v. fasciculatis, stylis demum uncinatis, *capsulis parvis deflexis* subappresso-pubescentibus, loculis oligospermis.

In præruptis secus ripas torrentis Cloud's Creek, qui flumini Clarence River tributarius. Dr. Herm. Beckler.

Arbuscula 12–16′. Ramuli teretes, ætate glabrati. Petioli teretiusculi, supra sulco tenui percursi, $\frac{1}{2}$–1″ longi. Petioluli foliolorum lateralium circa 2‴ longi; is folioli medii duplo longior; ii foliolorum basalium breviores. Foliola 2–5″ longa, tenui-coriacea, subtus pallidiora opaca et in statu juniore sæpe erubescentia, supra citissime glabrata, subfurcato-penninervia, venosa; supremum ceteris præsertim infimis longius; serraturæ cuspidato-acuminatæ; nervi subter prominentes. Pedunculi universales axillares, oppositi, paucas lineas usque ad pollicem longi, filiformes, apice par bracteearum gerentes. Bracteæ caducæ, herbaceæ, non raro parum purpurascentes, ovatæ, extus parce hirsutæ, 3–5‴ longæ, racemos perjuveniles et tunc penicillum referentes valvatim includentes. Racemi sive spicæ pedunculo proprio brevi v. brevissimo prædíti, 2–5″ longi, rarius denuo divisi. Rachis pubescens, tenui-filiformis, sursum pertenuis. Pedicelli solitarii, conferti, decurvi, circiter semilineam longi, bracteola solitaria minuta lanceolata longe ciliata muniti. Sepala 3–4, ovato-lanceolata, sæpe $\frac{2}{3}$‴ longa, membranea, decidua. Petala nulla, nisi caducissima. Stamina in speciminibus suppetentibus solum fructiferis jam delapsa. Discus hypogynus in lobulos ovato-rotundos minimos divisus. Germen biloculare, minus frequenter triloculare. Styli tot quot germina, subulati, saltem ætate liberi, circiter $\frac{2}{3}$‴ longi, glabri, sursum supra stigmatosi. Capsula deflexa v. nutans, circiter 2‴ longa, tenui-ellipsoidea, acutiuscula, hirsutula, septicide sursum hians, bi- rarius tri-valvis et partibilis. Septum medio dissiliens. Semina pendula, nec, uti Endlicherio ex icone G. racemosæ apparebat, erecta, in utroque loculo 2–4, biseriatim septo affixa, angusto-ellipsoidea, glabra, funiculo planiusculo appensa. Nucleus fulvo-canus, $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}$‴ longus. Testa, ut jam Billardierius in congenere monebat, deorsum neque antrorsum in alam semini æquilongam fere semilanceolatam albidam tenero-membranaceam expansa, sicut unilateraliter margine angusto decurrens. Albumen parcum. Embryon orthotropum, circiter $\frac{1}{3}$‴ longum. Cotyledones plano-convexæ, oblongæ, longitudinem radiculæ superæ cylindraceæ subæquantes, latitudinem ejusdem paulo excedentes.

Weinmannia paniculata.

Foliis modice petiolatis trifoliolatis v. pinnatim quinquefoliolatis, rachi aptera, foliolis magnis lanceolato-ovatis obtusis brevissime crenulatis subtus in axillis nervorum barbigeris, lateralibus breviter petiolulatis, *floribus parvis ample paniculatis* decandris, pedunculis breviter pubescentibus, pedicellis sparsis flore breviori-bus, sepalis persistentibus, *petalis unguiculatis* angusto-lanceolatis, germinibus sericeis, capsulis rubicundis ovato-globosis obtusis oligospermis seminibusque puberulis.

Ad amnes fluvii Clarence River, e. g. ad torrentem Cloud's Creek. Dr. Beckler.

Arbuscula Euodiam simulans, monente inventore forsan altitudinem arboris majoris attinens. Ramuli teretiusculi, mox glabri. Stipulæ caducæ, circiter 3‴ longæ, ellipsoideæ, subherbaceæ. Foliola tenui-coriacea, 2–5″ longa, penninervia, reticulari-venosa, repandula, subtus nitidula et fasciculos densos brevesque pilorum pallidiorum secus nervum medianum gerentia, supra paulo saturatius virentia; foliolum supremum lateralibus majus et petiolo longiore sustensum. Pedunculi primarii teretes, oppositi, tam axillares quam terminales, a basi usque ad initium pedunculorum partialium $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}$″ longi; secundarii plurimi alternantes. Pedicelli linea breviores, interdum brevissimi. Bracteolæ fugaces. Calycis laciniæ fere semilanceolatæ, circiter $\frac{1}{2}$‴ longæ, glabriusculæ, parum inæquales. Petalorum lamina membranea, circiter $\frac{1}{2}$‴ longa, acuta, integra. Stamina vix 1‴ longa, glabra. Filamenta capillaria. Antheræ cordatæ, circiter $\frac{1}{8}$‴ longæ. Styli 2 raro 3, capillares, primum recurvi, postea erecti, $\frac{1}{2}$‴ longi, denique e basi semifissi. Capsulæ 1–$1\frac{1}{2}$‴ longæ, haud rostratæ, stylis gracillimis basi vix incrassatis terminatæ. Valvæ extus ex apice semidehiscentes. Septum bipartibile, utrinque longitudinaliter dehiscens. Semina in loculis 1–3, subovata, aptera, pilis brevibus articulatis albidis parce vestita.

Ab unica specie Australasica, scil. W. Australi (All. Cunn. in Field's New South Wales, p. 535), secundum ejus definitionem ample distat. Anodopetalum a genuinis Weinmanniis generice non sufficienter discrepat.

Araliaceæ.

Panax cephalobotrys.

Fruticosus, subscandens, inermis, petiolis parce pilosulis, foliis pinnatim trifoliolatis, foliolis submembraneis lanceolatis integerrimis venosis parcissime ciliatis utrinque nitidis subtus paulo pallidioribus, *capitulis racemoso-paniculatis*, pedunculis pedicellisque appresso-pilosulis, stylis demum arcuatis, baccis rotundo-ovatis compressis biloculatis.

Ad fluvium Richmond prope Bald Hill. Dr. Herm. Beckler.

Frutex altior. Petioli graciles, paucipollicares. Foliola 2–4″ longa; lateralia breviuscule petiolulata; terminale petiolulo pæne unciali prædítum. Panicula in unico specimine viso paucipollicaris. Pedunculi capitulorum speciales 2–4″ longi, tenues, indumento fulvido parce vestiti, apice bracteolis subrotundis scariosis ciliatis circiter $\frac{1}{2}$‴ longis dorso puberulis onusti. Petala subovata, acutiuscula, circiter 1‴ longa. Styli lineam metientes, filiformes, leniter compressi. Fructus circiter 3‴ longi, non emarginati.

P. sambucifolio proximus, jam foliis edentulis et sicut ab omnibus generis speciebus defectu pedicellorum distinctus.

Alangiaceæ.

Pseudalangium.

F. M. in Proceed. of the Linn. Soc. ii. 155.

Calyx bracteolatus, cylindraceo-campanulatus; tubus germini adnatus; limbus brevis, superus, indistincte v. minute 4–5-dentatus. *Petala* 4–5, *æstivatione valvata*, *inferne cohærentia*, superne recurva, laminæ carnosæ annulatæ faucem calycis vestienti inserta, dentibus ejusdem alterna, linearia, inflexo-apiculata, decidua. Stamina 4–5, petalis alterna. *Filamenta corollæ adnata*, superne libera. Antheræ lineares, biloculares, liberæ; loculis adnatis, introrsum longitudinaliter dehiscentibus. Stylus filiformis, deciduus. *Stigma bi-partitum*, lobis semiteretiusculis. Germen inferum, uniloculare, unigemmulatum. Gemmula ex apice loculi pendula. Fructus ovatus costulatus. Pericarpium coriaceum. Funiculus nullus. Semen ovatum.

Frutices v. arbores inermes Australiam orientalem subtropicam inhabitantes, foliis chartaceis alternis subovatis v. lanceolatis inæquilateris integerrimis breviter petiolatis patentinerviis copiose venosis, stipulis nullis, cymis axillaribus et terminalibus, petalis albidis ætate revolutis.

Pseudalangium polyosmoides.

Ad ripas fluvii Clarence River prope Grafton. Dr. Beckler.

Arbor altitudinem 50′ attinens, jam statu fruticoso florens, Meliosmam simulans. Cortex, observante detectore, cinereus, rimosus, in fissuris verrucosus. Ramuli teretiusculi, primum parce sericei, demum glabrescentes. Folia mox glaberrima, petiolo semunciali v. breviore prædita, ovato- v. oblongo-lanceolato, basi nunc parum nunc insigniter inæquilatera, apice longius breviusve acuminata, subtus magis quam supra nitentia simulque dilutius virentia, hinc nervis lateralibus et præcipue mediano prominentibus cum venis fuscescentibus v. fulvescentibus, utplurimum $2\frac{1}{2}$–5″ longa, 1–$1\frac{3}{4}$″ lata, plana, tenui-chartacea. Cymæ simplices v. compositæ, pedunculo longiore v. breviore nunquam valde elongato portatæ. Pedi-

celli lineam v. paucas lineas longi, cum calyce parce appresso-puberuli. Bracteolæ solitariæ, ad calycis basin sitæ, circiter $\frac{1}{2}'''$ longæ, lineari-lanceolatæ, caducæ. Calyx florifer circiter sesquilineam longus, dentibus, si adsint, deltoideis. Petala $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}''$ longa, extus intusque parce sericea, in tubum tenuem infra medium connata. Stamina petalis longitudine fere æqualia. Filamenta filiformia, puberula v. sericea, apice glabra. Antheræ glabræ, 1–2‴ longæ, perangustæ, demum recurvæ, basi breviter bilobæ. Pollen luteum. Stylus $1\frac{1}{2}$–2‴ longus, parum puberulus, basi attenuatus. Crura stigmatis 1–$1\frac{1}{2}'''$ longa, primum erecta, demum parum recurva. Fructus maturus adhuc ignotus, immaturus jam semiuncialis, apice attenuatus, limbo calycis brevi coronatus. Semen jam ante maturitatem fere cavitati fructus æquilongum. Embryon, quantum e statu immaturo dejudicarem, ei ordinis conformis.

Accepi præeuntis stirpis varietatem nisi diversam hujus generis speciem *tomentosam*, a clar. Walt. Hill ad ripas fluminis Brisbane collectam, indumento denso omnes plantæ partes vestiente, foliis latioribus brevius petiolatis et stylo dense sericeo præprimis distinguendam.

Polyosmæ Cunninghami specimina flori- et fructifera circum urbem Grafton reperit Dr. Beckler.

Myrtaceæ.

Eucalyptus ficifolia.

Foliis modice petiolatis oppositis ovato-lanceolatis v. subovatis acutis coriaceis patentissime prætenuiter crebreque penniveniis vix pellucide punctatis arcte subtiliterque reticulari-venosis subtus pallidioribus, *vena peripherica margini contigua*, umbellis terminalibus paniculatis, pedicellis quadrangulis calyci subæquilongis, *fructibus magnis truncato- v. suburceolari-ovatis exangulatis* triusque quadri-loculatis, valvis deltoideis profunde inclusis deflexis, *seminibus fertilibus cano-fuscis antice longe alatis*, plerisque sterilibus angustis elongatis.

Prope litora æstuarii "Broken Inlet" Novæ Hollandiæ austro-occidentalis. Mx.

Species, quantum innotuit, E. calophyllæ finitima, seminibus pallide fuscis minoribus et eorumdem ala nucleo æquilonga v. longiore transparente etiam secus dorsum decurrente distinctissima. Folia simulant ea quarundam Fici specierum e serie Fici elasticæ.

Myrtus Becklerii.

Glabra, *foliis* parvis breviter petiolatis chartaceis ovato-lanceolatis *in acumen obtusum longe angustatus, nervo laterali utrinque unico imperfecto* v. obliterato, venis vix conspicuis, pedunculis axillaribus lateralibusque solitariis oppositis unifloris folio breviori-

bus tenuibus prope apicem articulatis, bracteolis deciduis, calycis limbo brevissime quinquelobo, baccis parvis triloculatis exsuccis subglobosis sive truncato-ovatis, *seminibus parvis numerosis compressis* subrotundis angulatis in quovis loculo biseriatis, testa subtilissime reticulata crustacea.

In silvis montanis ad rivulum Cloud's Creek, qui fluvio Clarence adfluit. Dr. H. Beckler.

Frutex pluripedalis. Folia plana, pleraque 1–1½″ longa, basi acuta, glandulis oleigeris vix pellucentibus punctata, subtus parum pallidiora. Pedunculi 2–6‴ longi. Flores ignoti. Baccæ pisi magnitudine, limbi lobis fere semiorbiculatis coronatæ. Semina in quocunque loculo fere biseriatim horizontalia, circiter 1‴ metientia, sordide fusca. Embryon hippocrepicum.

Myrtus Tozerii.

(Sect. Rhodomyrtus.)

Arborea, *foliis* modice petiolatis magnis coriaceis lanceolato-ovatis acuminatis mox *glabris penninerviis reticulari-venosis, pedunculis* axillaribus solitariis uni- v. trifloris v. racemoso 4–5-floris *cum pedicellis calycibusque cano-subvelutinis* folio conspicue multove brevioribus, pedicellis calyce brevioribus, bracteolis linearibus v. lanceolato-oblongis diu persistentibus calyce fere triplo brevioribus, calycis limbo quinque-lobo, lobis pæne semiovatis corollam fere semiæquantibus, petalis albis utrinque glabris stamina numerosa subæquantibus, *stigmate peltato plano, baccis imperfecte sexlocularibus polyspermis* subglobosis, seminibus in quolibet loculo uniseriatis compressis subrotundis angulatis, testa ruguloso crustacea.

In silvis ad flumen Brisbane, Hill et Mueller; ad flumina Clarence et Hastings River, H. Beckler.

Arbor minor, altitudinem 25′ attingens, adspectu Tristaniæ. Cortex trunci cinereus, lævis. Ramuli mox teretes. Petioli ½–1″ longi. Folia bene evoluta 3–6″ longa, 1–2″ lata, concoloria, utrinque plus minus nitidula, plana v. margine leniter recurva, basi acuta, pellucido-punctata, nervis subtus prominentibus costata, crebre venosa. Inflorescentia addito pedunculo raro uncias duas excedens, sæpe brevior, nonnunquam ad pedunculum brevem uniflorum reducta. Bracteolæ juxta apicem pedicelli sitæ, sesquilineam longæ. Calycis floriferi tubus circiter 2‴ longus, semiovatus. Lobi 1½–2‴ longi, utrinque subvelutini, ætate magis acutati. Petala orbiculari-ovata, sessilia, imperfecte ciliolata. Filamenta copiosa, pluriseriata, capillaria, 2–3‴ longa. Antheræ flavæ, cordato-ovales, ½‴ longæ. Stylus e basi latiore filiformis, 2–3‴ longus, subglaber. Stigma orbiculare, usque ad 1‴ latum. Bacca glandulis oleo aromatico scatentibus punctulata, statu vix maturo visa, tunc carnosa et 4‴ metiens, calycis lobis demum acutiusculis

F. Schoenfeld, del. & Lith. F. Mueller, direxit. Hamel & C. imp.

Myrtus Tozerii. F. M.

$1\frac{1}{2}$–2‴ longis divergentibus coronata, styli basi cuspidata. Semina vix 1‴ longiora. Embryon hippocrepicum.

Nelitris psidioides, Don. Gen. Syst. ii. 829, quantum e brevi definitione judicandum, forsan ad nostram plantam pertinet. Differentiæ precipuæ M. Thozeri a M. tomentosa sequuntur : folia longius petiolata, acuminata, subtus nuspiam tomentosa ; petala minora, glabra ; fructus sexlocularis. Speciem nuncupavi in honorem clar. Horatii Tozer, plantarum prope portum Macquarie nascentium meriti observatoris.

Haloragеæ.

Myriophyllum trachycarpum.

Foliis inferioribus capillaceo-pinnatisectis, *superioribus alternis linearibus integerrimis*, floribus axillaribus sparsis sessilibus, antheris oblongo-linearibus filamento longioribus, stigmatibus sessilibus barbatis, fructibus tetracoccis tuberculatis.

In stagnis prope montes Macadam Range.

Herba repens v. fluitans. Folia parva, superiora speciminum suppetentium paucas lineas longa. Antheræ 1‴ metientes. Barba stigmatum albida. Fructus circiter $\frac{1}{2}$‴ longi.

Species hinc ad M. integrifolium, inde a M. pedunculatum accedens. Illud, fide iconis in J. Hook. Fl. Tasm. t. xxiii., petalis orbatum est, sed sepalis fere petaloideis gaudet.

Myriophyllum latifolium.

Foliis omnibus ternato-verticillatis, *emersis magnis isomorphis lanceolatis antice serratis* postice longe acutatis et integerrimis, submersis in segmenta capillaria pinnatim divisis, floribus axillaribus octandris tetragynis sessilibus, filamentis anthera tetragonolineari brevioribus, stigmatibus barbatis sessilibus.

Ad flumen Clarence River. Dr. Beckler.

Stirps fluitans, unum ad plures pedes longa. Folia emersa 1–$1\frac{1}{2}$″ longa, 2–3‴ lata, pæne forma et magnitudineæ eorum Proserpinaceæ palustris, exsiccatione membranea. Bracteolæ minutæ, subovatæ. Petala florum masculorum circiter $1\frac{1}{2}$‴ longa. Antheræ flavæ, tenues, circiter 1‴ longæ. Stigmata majuscula. Fructus maturos nondum cognosco.

M. Indico proximum.

Explicatio tabulæ tredecimæ quoad figuras analyticas.—1, flos ante expansionem ; 2, flos expansus ; 3, petalum latere visum ; 4, petalum antice visum ; 5, antheræ ; 6, pollinis granula ; 7, flos post anthesin ; 8, fructus latere visus ; 9, fructus sectio transversa ; 10, fructus sectio verticalis ; 11, semina ; 12, seminis sectio longitudinalis, ut embryo in conspectum veniat.—Omnes figuræ seu fortiore seu leniore gradu amplificatæ.

Leguminosæ.

Agati formosum.

Foliolis mucronulatis, *calycis dentibus triangularibus tubo quater quinquiesve brevioribus* acuminatis, vexillo alas apice connatas et carinam subæquante ochroleuco, leguminibus longissimis, seminibus atris latitudine sua ter fere longioribus.

Ad ripas subsalinas rivorum fluminibus Victoria et Fitzmaurice River adfluentium in vicinia montium Macadam Range.

Arbor 20–30′. Folia pluri- v. multijuga. Foliola glabra, ovalia, oblonga v. elliptica, $\frac{2}{3}$–$1\frac{1}{2}$″ longa, breviter petiolulata. Pedicelli sæpe unciales. Flores magnitudine eorum A. grandiflori. Calycis tubus intus glaber; dentes 2–3‴ longi, intus tomentosi; duo supremi approximati. Vexillum e basi cordata ovatum, apice breviter bilobum. Alæ lanceolato-falcatæ, obtusiusculæ, infra summum apicem longitudine paucarum linearum connatæ, hinc carinæ summitatem adscendentem obtusiuscule bilobam amplexantes, quacum albæ. Filamenta corollam æquantia; omnia in tubum connata, vexillare semiliberum, cetera apicem versus disjuncta. Antheræ lineares, 1‴ paulo excedentes, supra basin affixæ. Stylus glaber, stamina paulo superans. Stigma minutum, truncatum. Legumina $1\frac{1}{2}$–3′ longa, 2–3‴ lata, septata, evidenter compressa. Semina turgidula, oblonga, utrinque obtusissima, vix aut parum nitentia, pæne 3‴ longa.

In speciminibus A. grandiflori Ceylonicis a præclaro Thwaites mecum communicatis vidi foliola mutica, calycis dentes brevissimos, alas apice liberas, vexillum alis paulo brevius, semina fusca 2–$2\frac{1}{2}$‴ longa ovalia.

Compositæ.

Eurybia oppositifolia.

(Sect. Argophyllæa.)

Fruticosa, *foliis* magnis coriaceis sive ovalibus oblongis et tunc planis sive oblongo- v. angusto-linearibus et tunc margine revolutis semper *oppositis denticulatis supra reticulari-venosis glabris subtus cum ramulis pedunculisque sericeis*, paniculis axillaribus imperfecte trichotomis, pedunculis specialibus tenui-filiformibus capitulo parvo longioribus ebracteatis, involucri squamis pauciseriatis dorso parce sericeis exterioribus abbreviatis interioribus linearibus obtusiusculis, acheniis lineari-cylindricis pappo æquilongis glabris, pappi setis scabriusculis interioribus exteriores triente v. dimidio superantibus.

Ad ripas rupestres torrentium montis Guy Fox Peak, ad flumen Anne et in monte Mitchell, altitudine 3000–4000′. Dr. Beckler.

Frutex 4–5′. Folia 2–4″ longa, $1\frac{1}{2}$‴–1″ lata, breviter petiolata. Pedunculi partiales circiter pollicares. Involucri squamæ interiores

2–2½‴ longæ, ½‴ latæ. Corollæ disci circiter 2½‴ metientes, radii in speciminibus defloratis non visæ. Achenia pæne 2‴ longa, fuscescentia.

E. alpicolæ et E. rosmarinifoliæ affinis.

Rutidosis acoma.

Acomis rutidosea, F. M. coll. (Sect. Acomis.)

Caulibus ramosis apice tenus foliatis, foliis inferioribus lanceolato-ovatis petiolatis superioribus lanceolatis omnibus supra parcius pubescentibus subtus cum ramis araneoso-tomentosis, pedunculis tenuibus gracilibus solitariis monocephalis ebracteatis, involucri parvi squamis pauci-seriatis erugosis margine nudis exterioribus ovatis interioribus cuneato-lanceolatis, *floribus omnibus hermaphroditis, acheniis pappo destitutis* nigris tuberculato-asperis.

Ad ripas superiores fluminis Hastings. Dr. Beckler.

Herba spithamam ad ulnam alta, perennis. Folia 1–3″ longa, margine sæpe repanda, trinervia, acuta v. acuminata. Pedunculi 1–2″ longi, araneoso-tomentosi. Involucri squamæ exteriores obtusæ 1–1½‴ longæ, interiores circiter 2‴ longæ, parte infera indurata nec tamen stipitiformi, parte supera scariosa tenera acuta. Receptaculum leviter convexum, demum fere planum, 1–1½‴ latum. Corolla diu persistens, circiter 2‴ longa, lutea, dentibus ½‴ longis. Antheræ basi breviter bisetæ. Styli rami filiformes. Achenia 1‴ paulo longiora, oblonga, basi attenuata.

Helichrysum obovatum.

Cand. Prodr. vi. 180.

Elatius, perenne, herbaceum, foliis lineari- v. ovato-lanceolatis in basin petiolarem angustatis utrinque glabratis v. scabridis v. subtus cum ramis pedunculisque lanuginoso-tomentosis, *capitulis parvis* 20–24-*floris paniculatis, involucri squamis extus albo-tomentosis* lanceolato- v. oblongo-linearibus exappendiculatis, floribus perpaucis marginalibus fœmineis, pappi setis 28–32 serrulato-scabris apice incrassatis achenio glabro fusco fere duplo longioribus.

Ad portum Macquarie. A Cunningham. Ad cataractas et ripas rupestres fluminis Clarence. Dr. Beckler.

Caules e radice plures, striati, teretes, ramosi, sæpe 3′ alti. Folia ½–2″ longa. Capitula fere hemispherica, circiter 2‴ longa. Pappus tener, albus. Achenia angulato-cylindracea, fere ⅔‴ longa.

Apocyneæ.

Chilocarpus.

Blume Bijdragen tot de Flora van Nederl. Indie. 1025; Museum Botan. Lugd. Batav. 151, t. 52. (Sect. Rhytileucoma.)

Corollæ lobi ad baseos latus interius acumine descendente appendiculati. Bacca indehiscens. Semina membranis nullis retenta. Albumen rugosum. Radicula elongata.

Chilocarpus Australis.

Rhytileucoma chilocarpoides, F. M. coll.

Glaber, foliis ovatis v. lanceolatis obtusiuscule acuminatis in petiolum brevem paulo decurrentibus, racemis abbreviatis geminis ternisve paucifloris, bracteolis paucissimis sparsis, calycis lobis subrotundis, *corollæ lobis ad baseos latus interius in laciniam productis*, stigmate mitriformi rostellato, baccis brevissime pedicellatis ovatis lævibus, seminibus rugosis, radicula cotyledonibus duplo longiore.

Ad ripas silvaticas fluvii Clarence River prope oppidum Grafton. H. Beckler.

Frutex alte scandens. Folia tenui-coriacea seu chartacea, $1\frac{1}{2}$–$3''$ longa, $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{2}''$ lata, penninervia, utrinque nitentia, subtus paulo pallidiora. Racemi breviter pedunculati, sæpe quinqueflori, pedicellis lateralibus oppositis 1–$1\frac{1}{2}'''$ longis. Bracteolæ minutæ, subovatæ, ciliolatæ; una ad pedicelli basin, altera sæpius juxta ejus apicem sita. Calyx $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}'''$ longus, lobis ciliolatis. Corolla glabra, fere $3'''$ longa, exsiccatione fulvescens, basi constricta. Filamenta brevissima, prope medium tubi corollæ affixa. Antheræ flavæ, circiter $\frac{1}{2}'''$ longæ, oblongæ, longe acutatæ, introrsum rimis duabus dehiscentes. Germen conicum. Stylus brevissimus. Stigma $\frac{1}{2}'''$ longum, rostro bifido terminatum. Bacca circiter biuncialis, polysperma. Pericarpium crasso-coriaceum, extus rufum. Pulpa parca, granularis, fuscescens. Semina $2\frac{1}{2}$–$4'''$ longa, ovata, rugulosa, fusca, ventre impressa. Albumen copiosum, extus quasi ruminatum. Embryon longitudini albuminis æquale. Radicula filiformis, recta v. leviter curvata, cotyledonibus planis cordato-ovatis duplo fere longior et triplo angustior. Stirps facile typum generis seorsi Melodino propinqui indicans.

Laurineæ.

Endiandra virens.

Elata, *foliis utrinque virentibus* oblongo- v. ovato-lanceolatis glabris, paniculis folio brevioribus, filamentis fertilibus subsericeis, stigmate minutissimo, fructibus tandem tuberculato-rugosissimis.

In silvis ad flumen Clarence River. H. Beckler.

Arbor excelsa. Cortex, adnotante collectore, sulcatus, cinereus. Ramuli angulati, atro-fusci, parcissime sericeo-puberuli. Folia petiolo circiter semunciali prædita, 2–$5''$ longa, integerrima, chartacea, copiose reticulari-venosa, subtus parum supra evidentius nitentia, nervo medio subtus prominente fuscescente, lateralibus nervis patentibus. Paniculæ axillares, laterales et terminales, pluri- v. multifloræ. Pedicelli sesqui- v. paucilineares, tenues, bracteolis minutis subovatis acuminatis distanter conspersi. Calycis tubus limbo latior, apice subito contractus; lobi rotundato-deltoidei,

semilineam circiter longi. Filamenta perbrevia. Antheræ $\frac{1}{4}'''$ longæ. Stylus circiter $\frac{1}{2}'''$ metiens, subulatus. Fructus pedicello valde incrassato sustensus, vertice truncatus et impressus, fere pollicem latus, fuscescens, denique subvalvato-rumpens. Semen nondum notum.

Proteaceæ.

Helicia glabriflora.

Glabra, *foliis alternis integerrimis* lanceolatis v. ovato-lanceolatis, racemis axillaribus et lateralibus gracile pedunculatis, *pedicellis infra medium connatis* calyce parvo quater quinquiesve brevioribus bracteam subovatam aliquoties superantibus, filamentorum parte libera antheris linearibus breviore, annulo hypogyno vix denticulato, stigmate tenui longiusculo, germine parce sericeo.

Ad torrentem Leycester Creek rivo Richmond River adfluentem. H. Beckler.

Arbor saltem 25′. Cortex læviusculus, cinereus. Folia 2–4″ longa, 1–1½″ lata, tenui-coriacea, subtiliter reticulari-venosa, fere concolaria. Racemi circiter biunciales, pedunculo sæpius pollicari præditi. Pedicelli 1–1½‴ longi, basi bractea circiter $\frac{1}{3}'''$ longa suffulti, extus ad divisionem bracteola minutissima lineari-subulata donati. Sepala circiter 4‴ longa, albida. Antheræ circiter 1‴ longæ. Annulus hypogynus flavus, circiter $\frac{1}{3}'''$ altus. Stylus circa 3‴ longus, glaber, filiformis, sensim in stigma vix latius sed lineam longum transiens. Fructus nondum reperti.

Helicia Australasica (F. M. in Hook. Kew. Misc. 1857, 22; Meisn. in Cand. Prodr. xiv. 699) recedit calycibus luteis, glandulis hypogynis liberis et stigmate truncatulo.

Helicia ternifolia.

Foliis verticillato-ternatis mucronato-dentatis ovato- v. oblongo-lanceolatis v. ovatis glabris breviter petiolatis raro fere integerrimis passim oppositis, *pedicellis liberis* calyce parvo ad trientem tantum v. pluries brevioribus bracteolam lineari-subulatam caducam superantibus, filamentorum parte libera antheram ovalem longitudine æquante v. excedente, annulo hypogyno vix denticulato, germine sericeo-villosulo, fructibus ovato-globosis tenuissime velutinis.

In vallibus silvaticis ad sinum Moreton Bay.

Arbor saltem altitudinem 30′ attinens. Folia 2–4″ longa, 1–1½″ lata, petiolo semunciali v. breviore prædita, dense reticulari-venosa. Racemi nunc ad longitudinem biuncialem abbreviati, nunc ad longitudinem spithamæam elongati. Pedicelli ¾–2‴ longi. Sepala 3–4‴ longa. Antheræ circiter $\frac{1}{2}'''$ longæ, filamento longius breviusve soluto. Stylus sæpe inferne sericeus. Stigma circiter $\frac{1}{2}'''$ longum. Fructus turgidi, maturi non cogniti.

Amarantaceæ.

Deeringia celosioides.

R. Br. Prodr. 413; Endl. Iconogr. t. 62; Bot. Mag. t. 2717.

Fruticosa, *foliis glabris*, submembraneis ovatis in acumen longum sensim acutatis, spicis indivisis v. simpliciter ramosis plerisque elongatis, bracteolis acutis, sepalis patentibus viridulis ætate cano-fuscescentibus, *filamentis basi conspicue dilatata connatis* baccis rubris, seminibus majusculis, testa subtilissime reticulata.

E vicinio montium cœruleorum saltem usque ad sinum Keppel Bay.

Deeringia altissima

Lagrezia altissima, Moq. in Cand. Prodr. xxiii. 2, 253. (Sect. Cladostachys.)

Arborea *foliis* subchartaceis ovatis in acumen breve sensim acutatis *subtus ramulisque pubescentibus*, spicis ramoso-paniculatis, bracteolis obtusis, sepalis ætate stramineis, *filamentis basi vix connatis*, seminibus parvis, testa subtiliter reticulata.

Ad sinum Moreton Bay, A. Cunningham, W. Hill, E. Fitzalan; juxta fluvium Clarence, C. Moore; secus flumen Hastings et in planitiebus silvatices Rowland's Plains, H. Beckler.

Arbor altitudinem saltem 70′ attingens. Cortex trunci cinereus, lævis. Ramuli teretes, demum glabrescentes. Petioli sæpe unciales, tomentello-pubescentes, ætate glabriusculi. Folia pleraque 3–5″ longa, $1\frac{1}{2}$–2″ lata. Paniculæ pauci- v. pluri-pollicaris rami brevi-pubescentes. Flores, indicante clar. Beckler, statu recente albidi, circiter 1‴ longi, spicas modo densas modo interruptas struentes. Sepala late ovata. Stamina breviter aut vix exserta. Antheræ flavæ, $\frac{1}{3}$‴ circiter longæ. Stylus perbrevissimus. Stigmata circiter $\frac{1}{4}$‴ longa. Bacca depresso-globosa, succulenta, leviter trigona, fere 2‴ lata. Funiculi plures, capillares, fasciculatim e fundo calycis orti, centrales sæpe tantum semina fertilia gerentes, exteriores non raro tenuiores et ovulum non maturans gignentes. Semina plura v. abortu ovulorum pauca, exacte reniformia, atra, nitentia, circiter $\frac{1}{3}$‴ metientia. Albumen parcum, laterale, embryone hippocrepico semicinctum.

Ad Deeringiam forsan referri possint Lestibudesia arborens et Cladostachys muricata. Deeringiam altissimam propter coalitionem filamentorum haud manifestam olim sub nomine Beckleriæ separabam. Generibus Amarantacearum ex Australia cognitis nunc adnumeranda est Ærva, secundum quandam speciem in Nova Hollandia boreali repertam.

Dioscoreæ.

Petermannia.

Limbus calycis in segmenta sex angusto-lanceolata divisus, tandem deciduus. Stamina sex. Filamenta capillaria, libera. An-

theræ dorsifixæ, lineares, biloculares, longitudinaliter dehiscentes. Stylus filiformis, indivisus. Germen triloculare. *Gemmulæ in quovis loculo* 4–5 *superpositæ*. *Fructus baccatus*, uniloculatus, pleiospermus. Semina aptera.

Planta glabra, scandens, silvicola Australiæ subtropicæ orientalis, foliis alternis chartaceo-membraneis petiolo brevi curvato prædita lanceolatis integerrimis acuminatis longitudinaliter multinervis dense reticulato-venosis pellucentibus, *pedunculis oppositifoliis passim in cirros mutatis*, *floribus paniculatis*, baccis subglobosis.

Genus Tamo proximum, quoad seminis fabricam non sufficienter notum, ornavi nomine præclari A. Petermann, geographi peritissimi, qui in suis operibus numerosis cognitionem terrarum Australium diu avideque promovit.

Petermannia cirrosa.

Ad amnem Cloud's Creek, qui flumini Clarence River tributarius. H. Beckler.

Ramuli trigoni. Folia pleraque $2\frac{1}{2}$–$3\frac{1}{2}''$ longa, nitentia, crebre venosa, acumine angusto fere canaliculato terminata. Cirri paucas lineas longi, superne divisi. Panicula pauci- v. pluri-pollicaris, ramis gaudens curvato- v. flexuoso-divergentibus basi bractea 1–2‴ longa semilanceolata acuminata suffultis. Pedicelli 1–4‴ longi. Sepala circiter $2\frac{1}{2}'''$ longa, ut stamina tantum in planta fœmina visa. Filamenta glabra, 1–$1\frac{1}{2}'''$ longa, demum decidua. Antheræ flavæ, circiter lineam longæ, obtusæ. Stylus glaber, 2‴ longus, filamentis crassior. Stigma tantum in statu emarcido visum, ni fallor, simplex, ovale et laterali-terminale, $\frac{1}{2}'''$ longum. Bacca immatura pisi majoris magnitudine. Semina horizontaliter disposita, septis evanidis affixa, subrotunda, compressa, lineam paulo excedentia, statu maturo haud reperta.

Orchideæ.

Dendrobium Mortii.

F. M. Fragm. Phytogr. Austr. i. 214.

Caulibus elongatis gracilibus repetito-ramosis, ramis filiformibus, *foliis tetragono-filiformibus* muticis tenuiter quadri-sulcatis, pedicellis lateralibus solitariis geminisve flore brevioribus, *sepalis* lanceolatis petala et labellum altitudine subæquantibus *inferne in conum tenuem parti superiori liberæ æquilongum productis*, petalis spathulato-lanceolatis, *labelli membranei trilobi superne flexuoso-tricarinati lobo medio subreniformi crispato* lateralibus deltoideis planis saltem duplo longiore.

In silvis Araucariarum ad flumina Richmond et Hastings. Dr. Beckler.

Caules gracillimi, laxi, nitentes, læves, fulvi, pluripedales, remotiuscule articulati, basi radicibus crassiusculis tortuosis simpli-

cibus radicantes. Folia $1\frac{1}{2}$–5″ longa, lineam vix crassa, sparsa. Vaginæ mox in fila capillaria solutæ. Pedicelli circiter 3‴ longi, basi bracteola spathulata circiter 1‴ longa prædíti. Sepala in statu sicco flavescentia, ex inventore albida ; supremum trinerve, circiter 3‴ longum. Petala circiter 1‴ lata. Labellum obovato-cuneatum, albidum, fere semunciale, superne 2‴ latum ; lobi laterales integerrimi, vix lineam longi ; medius lobos muticus ; costa flavescens, ad labelli apicem extensa, lineis tribus prominentibus crispatis cristata. Columna 2‴ longa, apice circum antheram denticulata. Pollinia quatuor, geminatim connata, cylindraceo-ellipsoidea, flava, $\frac{1}{2}$‴ longa, leviter curvata, facile separabilia. Fructum non habeo.

Sarcochilus Hillii.

Dendrobium Hillii, F. M. Fragm. Phyt. Austr. i. 88.

Caule brevissimo, *foliis linearibus canaliculatis* acutis v. imis lanceolato-linearibus planis, pedunculis tenuissimis racemoso pluri-floris, sepalis parvis albis v. roseis petala ovalia paulo superantibus, lateralibus rhombeo-ovatis, supremo ovato, labelli sepalis superati breviter bicarinati albo-barbati lobis lateralibus brevibus obtusis, lobo medio carnoso pæne linguiformi.

In silvis ad sinum Moreton Bay, W. Hill ; ad flumen Clarence, H. Beckler.

Radices elongatæ, flexuoso- v. tortuoso-filiformes, procurrentes. Folia $1\frac{1}{2}$–4″ longa, 1–$1\frac{1}{2}$‴ lata, v. ima ad latitudinem 2–$2\frac{1}{2}$‴ extensa, quasi triquetra, basi articulata. Racemi 1–2″ longi. Pedicelli bracteolam cymbiformi-lanceolatam lineam circiter longam acutam superantes. Sepala circiter 2‴ longa, fere cymbiformia, subtilissime trinervia. Labellum (olim statu tantum mutilato visum) albidum, sesquilineare, callis duobus aureis supra carinatum. Columna brevissima, rosea. Anthera mobilis, bilocularis. Polliniorum paria duo, globosa, pallida. Capsula trigono-cylindracea, $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{2}$-pollicaris.

Liliaceæ.

Agrostocrinum.

Sepala sex, petaloidea, subæqualia, quinque-nervia, ovato- et lanceolato-oblonga, integerrima, *basi in tubulum connata, parte inferiore persistentia,* parte superiore post anthesin contorta et tandem decidua. Stamina sex, æqualia. Filamenta brevia, linearia, glabra. *Antheræ* rectæ, tenui-filiformes, biloculares, basifixæ, *poro apicali apertæ.* Stylus filiformis. Stigma minutum, indivisum. *Capsula* truncato-ovata, pergamena, loculicide-trivalvata, vix angulata, *apice impresso-triloba.* Semina e basi cujuslibet loculi dua, erecta, estrophiolata, ovata, plano-convexa. Testa crustacea, lævissima.

Herba perennis Novæ Hollandiæ Austro-occidentalis erecta glabra Stypandræ habitu, caule simplice compresso foliato, foliis rigidulis inferne canaliculato-triquetris superne plano-linearibus, corymbo v. panicula terminali, pedicellis cum calyce articulatis quocum sæpe asperulis, sepalis tenerrimis cyaneis patentibus.

Genus notis Stypandræ, Chlorophyti, Bidwilliæ, Dianellæ, Cæsiæ et Phalangii magis minusve particeps.

Agrostocrinum stypandroides.

Ad flumen Vasse River. Oldfield. Ad rivos Phillips et Hay River. Mx.

Radix ignota. Caulis ulnaris v. brevior, firmus, striatus, inferne lenius compressus, superne anceps. Folia radicalia inferne canaliculata, non in vaginam ampliata, 3–9‴ longa ; caulina inferiora sæpe semipedalia et longiora, lineam latitudine parum excedentia ; superiora paucipollicaria ; omnia acuta. Panicula pauci- v. pluriflora, subcymosa seu imperfecte dichotoma. Bracteolæ ad pedicellorum basin lineari-subulatæ, inferiores pluri-lineares, superiores sesqui- v. paucilineares. Pedicelli uncia paulo longiores v. breviores, gracile filiformes, sparsi, erecti. Calyx 6–8‴ longus; pars basalis tubulosa, 1‴ longa, setulis brevibus asperata ; pars suprabasalis imbricato-persistens, squamam subrotundam satis scariosam in sepalis exterioribus majorem antice purpurascentem postice hyalinam v. albidam bi- v. tri-linearem formans ; pars decidua pæne $1\frac{1}{2}$‴ lata. Filamenta pallida, lineam vix excedentia. Antheræ 2–$2\frac{1}{2}$‴ longæ, pæne $\frac{1}{4}$‴ latæ, flavæ, sursum sensim attenuatæ, apice oblique truncatæ. Stylus dilute cœruleus, glaber, filiformis, circiter 4‴ longus, germinis vertici impresso impositus. Capsula circiter 3‴ longa, apice lobis 3 conniventibus compressis emarginatis foveata. Semina lineam paulo excedentia, splendentia, atra. Huc forsan Stypandra scabra pertinet.

Hodgsonia.

Sepala sex, petaloidea, trinervia, integerrima, fere lanceolata, basi connata, post anthesin contorta. Stamina sex, inæqualia. *Filamenta* basi connata; *tria brevissima, antheram minutam sterilem subovatam acuminatam gerentia,* sepalis exterioribus opposita ; tria brevia, basi dilatata, antheras fertiles gerentia, sepalis interioribus opposita. *Antheræ tres fertiles, connatæ,* basifixæ, linearifiliformes, sursum attenuatæ, biloculares, introrsum longitudinaliter dehiscentes, apice hiantes. Stylus capillaris. Stigma perminutum, indivisum. Germen triloculare, pauci-gemmulatum. Fructus ignotus.

Stirps glabra, erecta, perennis, rigida, habitu junceo v. restiaceo gaudens, Novam Hollandiam austro-occidentalem incolens, rhizomate fibroso, caule aphyllo simplissimo per prælonga intervalla

bracteato compresso-filiformi basi vaginis apertis circumdato, foliis omnibus radicalibus teretibus solitariis acutis elongatis, racemo terminali simplice, pedicellis solitariis basi bibracteolatis apice cum calyce articulatis, floribus albidis.

Genus arcto affinitatis nexu hinc Thysanoto inde Arnocrino et Sowerbææ coadunatum elegi in tributum memoriæ præclari Joannis Hodgson, Coloniæ Victoriæ senatoris admodum honorati, viri inter cives Australiæ præmagno æstimati, institutionum benevolentiam et scientiam colentium nobilis fautoris, explorationis Australiæ strenui promotoris.

Hodgsonia junciformis.

Ad flumen Vasse. A. Oldfield.

Planta arida, 2–3′ alta, stricta, forsan pluricaulis. Rhizoma fibras plures demittens. Vaginæ ad basin caulis plures, lineares, acutæ; interiores usque ad semipedem longæ; exteriores gradatim breviores. Caulis inferne $\frac{2}{3}$–1 lineam crassus, superne sensim tenuior, bracteis tribus semilanceolatis tenuiter acuminatis appressis 2–5‴ longis præditus. Folia solitaria, demum cauli fere æquilonga, eidem æquicrassa, subtiliter striata. Racemus 1–3-pollicaris, superne confertiflorus, inferne interruptus. Pedicelli capillari-filiformes, primum flore breviores, demum eum æquantes, basi inferne bracteola subulato-lanceolata margine albo-membranea glabra 2–3‴ longa suffulti, præterea ad baseos latus alterum bracteola minore sæpe 1–$1\frac{1}{2}$‴ longa lanceolato- v. subulato-lineari membranea glabra præditi. Sepala exteriora angusto- v. oblongo-lanceolata, circiter 4‴ longa, ex sicco albida et cœrulescentia; interiora paulo latiora et margine latius membranea. Filamenta albida, capillari-linearia; staminum diminutorum circiter $\frac{1}{2}$‴ longa, antheris intense luteis semilineam longis donata; filamenta staminum fertilium pæne 1‴ longa, conum antherarum tenuem 2‴ longum flavum gerentia. Stylus tenuissimus, glaber, vix ultra antheras exsertus. Germen glabrum, subglobosum.

In Arnocrino, cujus ambæ species Oldfieldio prope flumen Murchison repertæ, notavi folia ad basin ramorum haud raro conspicue evoluta, filamenta tria exteriora breviora, quo modo antheræ exteriores interioribus insigniter superantur, porre antheras omnes introrsum longitudinaliter dehiscentes, capsulam bracteola persistente interiore tenerrime membranea binervata longe superatam sessilem pergamenam mediotenus loculicide trivalvatam globoso-ovatam 2‴ longam raro abortu uniloculatam, loculos capsulæ dispermos v. altero semine tabescente monospermos, semina superposita oblique ellipsoidea atra lucidissima lævissima estrophiolata, superum eorumdem adscendens, inferum descendens.

Fasciculus XIII. editus initio August. 1860.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

XIV.

Rutaceæ.

Boronia megastigma.

Nees in Lehm. Pl. Preiss. ii. 227.

Ramis subtilissime puberulis, *foliis subsessilibus* 1–3-*jugis glabris*, rachi aptero, foliolis coriaceis linearibus obtusiusculis, pedicellis flore paulo v. duplo longioribus axillaribus solitariis reflexis supra medium bibracteolatis in apicem incrassatis, sepalis semiovatis obtusis corolla ter quaterve superatis, *petalis glabriusculis orbicularibus extus atro-purpureis intus luteolis, staminibus* glabris exappendiculatis, *sepalinis corolla multo brevioribus antheram cordato-rotundam sterilem antice foveolatam cum stigmate magno depresso-tetragono quadrilobo purpureo-atram gerentibus*, staminibus petalinis perminutis anthera flava fertili præditis, disco repando virente, seminibus lucenti-nigris lævibus.

In Novæ Hollandiæ austro-occidentalis locis sterilioribus.

Frutex gracilis, paucipedalis v. humilior. Ramuli oppositi, teretiusculi. Folia superiora sæpe unijuga, inferiora sæpius 2–4-juga. Rachis articuli 1–1½‴ longi, angusti. Foliola pauci-linearia usque pollicaria, ½–1‴ lata, compresso-filiformia, utrinque nitida. Bracteolæ ovato-cymbiformes, glabræ, fere lineam longæ. Flores odori, secundi. Calycis lobi appressi, rubro-virentes, circiter 1‴ longi, subtilissime ciliolati. Petala ante expansionem in globulum imbricata, concava, satis conniventia, saltem non valde expansa, copiose pellucido-punctata, vix 3‴ longa, intus e viridulo mox ochracea. Filamenta sepalina viridula, circiter ½‴ longa. Antheræ steriles semilineam metientes, antice foveola longitudinali excavatæ, angulis stigmatis oppositæ. Antheræ fertiles dorsifixæ, rotundæ, ¼‴ longæ, sinubus stigmatis incumbentes. Stigma convexum, paulo ultra 1‴ latum, medio tenus 4-fidum, lobis crassis semiovatis deflexis. Discus perbrevis. Carpidia oblique ovata, truncata, vix apiculata, pæne 2‴ longa et 1‴ lata. Semen circiter 1‴ longum, oblique ovatum.

Definitio Boroniæ humilis (Turcz. in Mem. Mosc. 1852) cum planta hic descripta satis congruit.

Boronia heterophylla.

Robusta, elatior, glabra, *foliis longe petiolatis plerisque uni- v. bijugis nonnullis simplicibus linearibus*, rachi aptero, foliolis coriaceis linearibus acutis margine planis, pedicellis axillaribus solitariis flori subæquilongis prope medium bibracteolatis, sepalis subrotundis corolla pluries brevioribus, petalis saturate rubris late ovatis extus subglabris intus puberulis, filamentis petalinis perbrevibus apice paulo incrassatis parce ciliatis anthera fertili minuta subrotunda nigrescente præditis, *filamentis sepalinis* longioribus apice tumescentibus *anthera majuscula sterili nigra cordato-rotunda præditis, stigmate sessili virente subovato,* disco brevi repando, germine pubescente.

In plagis sterilibus passim inundatis ad Kalgee, Novæ Hollandiæ austro-occidentalis. Mx.

Frutex sæpe orgyalis. Foliola $\frac{1}{3}$–1″ longa, $\frac{2}{3}$–1‴ lata, imperfecte canaliculata. Bracteolæ 1‴ paulo breviores. Sepala atropurpurea, lineam longa. Petala 3–4‴ longa. Filamenta rubra ; sepalina 1‴ longa, antheram $\frac{1}{3}$‴ mentientem gerentia. Antheræ fertiles circiter $\frac{1}{5}$‴ longæ, polline aurantiaco farctæ. Stigma vix 1‴ longum, glabrum, haud distincte angulatum. Fructus deest.

Boronia semifertilis.

Ramis patentim denseque pubescentibus, *foliis breviter v. brevissime petiolatis* 2–4-*jugis* raro trifoliolatis subherbaceis, rachi aptero, foliolis parvis linearibus v. oblongo-linearibus planiusculis ciliatis et sparsim pilosulis, pedicellis axillaribus solitariis flore paulo brevioribus pubescentibus infra medium bibracteolatis, petalis saturate rubris extus glabris sepala orbicularia acuminata ter superantibus, filamentis perbrevibus lineari-subulatis inferne ciliolatis, petalinis anthera minima flava fertili præditis, *filamentis sepalinis antheram majorem atram ovato-cordatam gerentibus, stigmate sessili magno pyramidato-quadrilobo* e viridi fulvescente, disco repando brevissimo, germine velutino.

Ad flumen Franklin River Novæ Hollandiæ austro-occidentalis. Mx.

Frutex elegans. Rami teretiusculi. Articuli rachis 1–1$\frac{1}{2}$‴ longi. Foliola lateralia 2–3‴ longa, terminale 3–5‴ longum, omnia $\frac{2}{3}$–1‴ lata, acutiuscula. Flores secundi. Bracteolæ cymbiformi-ovatæ, circiter 1‴ longæ. Sepala rubra, pæne 1–$\frac{1}{3}$‴ longa, ciliolata. Petala 3–4‴ longa, cuspidulata. Antheræ steriles acutæ, vix semilinea longiores ; fertiles circa $\frac{1}{6}$‴ longæ. Stigma 1‴ altum ; anguli 4 obtusi prominentes, staminibus sterilibus oppositi. Germina bigemmulata. Carpidia obtusa, oblique ovata.

Aliis notis B. heterantheræ, aliis ut videtur B. bicolori (a Turcz. in Mem. Mosc. 1852 imperfecte descriptæ, me nondum visæ) nec non B. elatiori (Bartl. in Lehm. Pl. Preiss. i. 170) finitima.

Boronia gracilipes.

Ramis patentim denseque pubescentibus, *foliis bi- quadri-jugis* breviter v. brevissime petiolatis subherbaceis, foliolis parvis oblongo- v. ovato-lanceolatis integerrimis cum rachi angusto-alata sparsim pilosis, *pedicellis axillaribus solitariis geminisve folia superantibus gracillimis* pilosulis supra medium bibracteolatis, *petalis sepala acutiuscula multoties superantibus* parum velutinellis, staminibus omnibus fertilibus, filamentis ciliosis, sepalinis glandula apicali majore tumescentibus anthera minore præditis, stigmate sessili capitato, disco repando, germine velutino.

In collibus ad flumen Franklin River. Mx.

Frutex ulnaris v. altior. Rachis $\frac{1}{2}$–1″ longa. Foliola 2–3‴ longa, 1–1$\frac{1}{2}$‴ lata, acutiuscula, margine leviter recurva, subtus pallidiora et copiosius pilosa. Pedicelli parcius pilosuli, uncia sæpe paulo longiores, plus minus rubicundi ; articulus inferior capillaris, superior sursum incrassatus. Bracteolæ cordato-ovatæ, cymbiformes, $\frac{1}{2}$‴ longæ. Calycis lobi semilanceolati v. deltoidei, circiter $\frac{1}{2}$‴ longi, parce pilosuli. Petala ovata, acutiuscula, rosea, vix 2‴ excedentia. Filamenta sepalina fere 1‴ longa. Antheræ omnes luteæ, minutissime apiculatæ, fere ovatæ, sepalinæ $\frac{1}{4}$‴ petalinæ $\frac{1}{2}$‴ longæ. Stigma ovato-globosum, flavum. Fructus nondum noti.

B. Drummondi (Houtte Flor. des Serr. ix. 65, c. icon) et B. pulchellæ (Turcz. Bullet. Moscou, 1852) affinitate approximans.

Boronia fasciculifolia.

F. M. Fragm. Phytogr. Austr. i. 99.

Ramulis subhirtellis, *foliis parvis simplicibus oblongo-linearibus* passim fasciculatis obtusis pilosulis brevissime petiolatis margine revolutis, pedunculis axillaribus et terminalibus elongatis 1–3-floris rarius plurifloris, pedicellis flori subæquilongis v. eodem longioribus puberulis supra medium minutim bibracteolatis, *sepalis dense canopubescentibus* rarius glabris semilanceolatis acuminatis corolla ter brevioribus, petalis roseis lanceolatis acutis medio dorso puberulis, staminibus omnibus fertilibus petala vix semiæquantibus, filamentis subtiliter pubescentibus apice verrucoso-tumescentibus, antheris flavis ovatis conspicue appendiculatis, stylo pubescente perbrevi, stigmate semiovato, disco repando, germine glabro.

In Nova Hollandia austro-occidentali. A. Gregory.

Foliola unius speciminis visi semuncialia v. breviora, circiter 1‴ lata, subtus pallidiora. Pedunculi tenui-filiformes, sæpe 1–1$\frac{1}{2}$‴ longi, apice par bractearum semilanceolato-cymbiformium circiter 1‴ longarum gerentes. Bracteolæ lineari-lanceolatæ, sæpe 1‴

breviores. Sepala basi coalita, sensim acutata, circiter $1\frac{1}{2}'''$ longa, viridula. Petala præter indumentum dorsale pæne glabra. Filamenta sepalina petalinis vix longiora, apice crassius glanduloso-verrucosa. Antheræ $\frac{1}{2}'''$ longæ, appendice parvo albo subovato auctæ. Fructus ignoti.

B. thymifoliæ (Turcz. Bullet. Mosc. 1852) propinqua.

Boronia subcærulea.

Glabra, *foliis longe petiolatis trifoliolatis* raro pinnatim quinquefoliolatis, *foliolis lineari-filiformibus* subcanaliculatis cuspidulatis, pedicellis axillaribus solitariis rarius geminis flore brevioribus basi bibracteolatis, *petalis parvis glabris subrotundis extus vel undique cærulescentibus* sepala rotunda v. ovata ter fere superantibus, filamentis inferne ciliatis glandula tumescente destitutis, antheris omnibus aurantiacis æqualibus fertilibus breviter appendiculatis, stylo brevissimo, stigmate depresso-capitato, disco indiviso.

In collibus arenosis ad flumen Murchison, A. Oldfield ; ad sinum Champion Bay, Pemb. Walcott.

Planta cubitalis v. humilior, diffusa. Rami decurru petiolorum angulati, mox inferne defoliati. Petioli sæpe longitudine foliolorum, canaliculato-filiformes, angusti, apteri. Foliola longitudine inter 2–12‴ variantia, circiter $\frac{1}{2}'''$ lata. Sepala 1‴ paulo breviora, viridula, margine membranea. Petala circiter 2‴ longa. Filamenta lineari-subulata, sepalina petalinis longiora, circiter 1‴ metientia. Antheræ $\frac{1}{3}'''$ longæ, ovatæ, appendicula minuta albida terminatæ.

B. leptophyllæ (Turcz. Bullet. Mosc. 1852) videtur propinqua.

Boronia nematophylla.

Glabra, *foliis simplicibus filiformibus acutis mucronulatis* supra indistincte unisulcis, pedunculis axillaribus terminalibusque brevibus v. brevissimis uni- v. paucifloris v. cymoso-plurifloris, pedicellis perbrevibus sursum valde incrassatis, petalis glabris purpurascentibus subovatis sepala subrotundo-deltoidea ciliolata fere triplo superantibus, *filamentis margine lanuginosis* omnibus fertilibus, sepalinis apice tumescentibus petalina paulo superantibus corolla fere dimidio brevioribus, antheris flavis subovatis exappendiculatis, stylo setaceo glabro stamina fere æquante, stigmate parvo capitato, disco indiviso, germine glabro.

In vicinia sinus regis Georgii. A. Oldfield.

Frutex virgatus v. patentim ramosus. Folia utplurimum inter $\frac{2}{3}$ et $1\frac{1}{2}''$ longa, circiter $\frac{2}{3}'''$ crassa. Calycis lobi circiter 1‴ longi. Petala, quantum e sicco eorum statu judicarem, squalide purpurea, obtusiuscula. Filamenta lanugine cohærentia, longiora fere sesquilineam longa, omnia apice asperulo-incrassata. Antheræ $\frac{1}{2}'''$ longæ, minutim apiculatæ. Stigma subglobosum, minimum, nigrescens. Discus brevissimus. Fructus ignotus.

Species tam B. cymosæ (Endl. Pl. Hueg. 16) quam B. teretifoliæ (Bartl. in Lehm. Pl. Preiss. i. 166) affinis.

Boronia teretifolia.

Lindl. Swan Riv. Bot. 17.

Glabra, *foliis simplicibus canaliculato-filiformibus v. linearioblongis* planiusculis, pedunculis terminalibus elongatis cymoso-plurifloris v. multifloris, bracteis bracteolisque lineari- v. lanceolato-subulatis, petalis glabris roseis subovatis subunguiculatis sepala rhombeo-rotunda acuminata fere triplo superantibus, staminibus omnibus fertilibus, filamentis tenui-pubescentibus apice in filum introversum brevissimum antheram gerens productis, sepalinis petalina paulo superantibus corolla ter brevioribus, antheris flavidis cordato-ovatis apiculatis, stylo filiformi brevi glabro, *stigmate parvo depresso brevissime quadriloba,* disco repando, germine glabro.

In Nova Hollandia austro-occidentali septentrionem versus saltem usque ad flumen Murchison extendens. A. Oldfield.

Species fruticosa, ut apparet, humilis. Folia sæpe circiter unciam longa. Pedunculi frequenter biunciales. Pedicelli longitudine variantes. Sepala viridula, pæne 1‴ longa. Petala basi breviter unguiculata. Filamenta sepalina usque ad $1\frac{1}{2}$‴ longa, albida. Antheræ circiter $\frac{1}{2}$‴ longæ, appendicula revoluta alba prædita. Stylus cylindraceus, $\frac{1}{2}$‴ raro longior. Stigma stylo vix crassius. Fructus nondum visi.

Comparavi specimen collectionis Preissianæ Bartlingio nominatum.

Eriostemon Ralstoni.

Glaber, ramulis acutangulis v. apice subalatis, foliis sessilibus oblongis in basin sensim angustatis apice retuso-bilobis margine integerrimis demum revolutis subtus glaucescentibus, pedunculis terminalibus corymboso- v. umbellato-paucifloris angulosis folio brevioribus pedicellorum longitudinem excedentibus, bracteolis minutis lineari-canaliculatis deciduis, *floribus cernuis v. nutantibus, petalis parum patentibus* virentibus æstivatione valvatis segmenta calycis deltoidea multo superantibus, filamentis exsertis glabris viridibus, antheris cordato-ovatis exappendiculatis demum versatilibus, stylo elongato glabro, stigmate minuto indiviso, carpidiis liberis pæne rhomboideis breviter obtuseque rostratis, endocarpii latere interiore exciso supra basin in dentem acutum producto, membrana placentari semen semiæquante, seminibus sordide canis lævibus.

In rupibus graniticis juxta flumen Yowaka River sinum Twofold Bay versus.

Frutex amplus, pluripedalis, valde ramosus, odorem aromaticum spargens. Cortex ramorum nitenti-spadiceus, mox nigrescens,

Folia coriacea, 1–2″ longa, 2–4‴ lata, uninervia, vix conspicue venosa, glandulis minutis nullo modo protuberantibus notata. Corymbi passim duplicati. Pedunculi pauci- aut pluri-lineares, ætate sæpius surrecti. Pedicelli crassiusculi, conferti, $1\frac{1}{2}$–3‴ longi, angulati, prope basin rarius medium versus bracteolis vix $\frac{1}{2}$‴ metientibus ciliolatis muniti, cum calyce sæpius pruinosi. Calyx glaber, appressus, coriaceus, saltem usque ad medium divisus, circa 1‴ longus, virescens. Petala lineari-lanceolata, acuta, basi truncata, pæne 4‴ longa, in corollam fere cylindraceo-campanulatam conniventia, primum cohærentia, leviter uninervia, passim rubella. Filamenta lineari-setacea, libera; petalina corollam paulo sepalina eam fere dimidio excedentia. Antheræ saltem $\frac{1}{2}$‴ longæ, cavitate dorsali turgente juxta sinum basalem filamento conjunctæ. Pollinis granula lævia, ellipsoidea, extremitatibus obtusata. Styli circiter semunciales in unum contorti. Discus brevissimus repandulus. Germina virentia, glabra, obtusa, basi coalita. Carpidia 2–$2\frac{1}{2}$‴ longa, turgentia, vertice quasi truncata, angulo exteriore rostellata. Endocarpium dilute flavescens, enerve. Membrana placentaris ovula duo gerens, alba, centrum versus incrassata, fere 1‴ longa, complicata, pæne triangularis. Semina saltem $1\frac{1}{2}$‴ longa, oblique renato-ovata. Embryo non visus.

Explicatio analyseos tabulæ xiv.—1, flos pedicello bracteolato adjecto; 2, petala; 3, stamina; 4, pollinis granula; 5, pistillum; 6, carpidia; 7, endocarpium; 8, membrana placentaris; 9, semen.—Omnes figuræ magis minusve auctæ.

Speciem rarissimam et præsingularem forsan intra limites coloniæ Victoriæ inveniendam appellavi nomine clar. A. J. Ralston, cujus benignitati complures ad nostrum herbarium contributiones debeo.

Stirps habitu Croweam similans conjungit species Eriostemonis cum Nematolepide phebalioide (Turcz. Bullet. Mosc. 1852, Symphyopetalo corræoide, J. Drumm. in Hook. Kew. Misc. vii. 54), quæ solummodo petalis perpetuo connatis et filamentis squamula suffultis generice recedit.

Euodia octandra.

Melicope Australasica, F. M. Coll.

Foliis longe petiolatis trifoliolatis ramisque glabris, foliolis magnis coriaceis sessilibus lanceolatis v. obovatis, paniculis amplis trichotomis multifloris, pedicellis basi articulatis fructui subæquilongis, *floribus* quadrisepalis tetrapetalis *octandris, petalis persistentibus extus sericeo-velutinis* intus glabris angusto-lanceolatis sepala rhombeo-ovata ter superantibus, filamentis corolla brevioribus inferne ciliatis, stylo elongato inferne pubescente, *carpidiis rostellatis* glabriusculis, seminibus spadiceis.

Ad flumen Clarence River. Dr. Beckler.

Arbor pulchra. Cortex rimulosus, cano-fuscus. Foliola 4–10″ longa, 1½–4″ lata, integerrima v. interdum repandula, nitentia, penninervia, reticulato-venosa. Panicula elongato-ramosa. Bracteolæ ad basin pedicellorum sicut bracteæ triangulari-cymbiformes, ½–⅔‴ longæ. Calyx velutinellus, circiter 1½‴ longus. Petala crassiuscula, nervo utrinque prominente percursa, æstivatione valvata, cum calyce staminibusque persistentia, staminibus oppositis duplo longiora, inferne erecta, superne recurva. Filamenta e basi plana sensim subulatim attenuata, sepalina petalinis longiora. Antheræ pallescentes, circiter ¼‴ longæ, cordatæ basi profunde bilobæ, introrsæ. Stylus pæne 2‴ longus, inferne pilosulus. Carpidia oblique ovata, angulata, 1½‴ longa, 1–2 sperma. Semina nitentia, fere lævia.

Species cum nulla congenerum confundenda, nisi forsan Melicopæ Indicæ (me nondum visæ) affinis.

Euodia micrococca ad flumina Brisbane, Clarence, Hastings et McLeay River arborem elatam, ad flumen Severn arbusculam format. Cortex cinerascens rugosus evadit. Petala staminibus superantur. Semina inveni fusco-nigra, 1¼‴ longa, turgida, nitentia; cotyledones ovato-orbiculares foliaceæ duplo longiores quam radicula cylindracea.

Euodia erythrococca, nuperius etiam ad flumina Clarence, Hastings et Richmond a Dr. Beckler reperta, attinet altitudinem majoris arboris. Cortex ex albido et cinereo variegatus et rugulosus provenit. Carpidia sunt 2–3‴ longa, semina cœrulea nitentia ovata turgida.

Euodia neurococca, quæ antecedentium in locis indicatis comes, lignum, adnotante Becklerio habet flavidum, corticem sulcatum vel saltem rugosum fuscescentem.

Sapindaceæ.

Harpulia alata.

(Sect. Streptostigma.)

Foliolis chartaceis alternis v. summis oppositis lanceolatis v. ovato-lanceolatis acuminatis remote repando- v. serrato-dentatis, *rachi late alato*, sepalis persistentibus, petalis sessilibus glabris, staminibus octo, filamentis filiformibus corolla conspicue brevioribus, stylo breviusculo, *capsulæ loculis dispermis* æque longis ac latis extus subtiliter intus parcissime puberulis, *seminibus arillo complete inclusis* fuscis.

In nemoribus ad flumen Clarence River. Dr. Beckler.

Arbor nobilis. Ramuli teretes, mox glabrati. Folia glabra, breviuscule petiolata. Rachis pluripollicaris usque unipedalis, ad latitudinem ⅓–½ pollicis foliaceo-dilatatus, ad foliolorum insertionem constrictus, leviter repandus vel remote mucronulato-dentatus. Foliola 2–8″ longa, 1–2″ lata, utrinque nitentia et fere concoloria,

sessilia, in basin cuneatam contracta, ima basi obtusata, penninervia, insigniter reticulari-venosa. Paniculæ subracemosæ, multifloræ, pluripollicares, indumento tenui cano-fulvescente subvelutinæ. Bracteolæ lineari-subulatæ, lineam circiter longæ. Pedunculi secundarii breves. Pedicelli flore sæpius breviores. Sepala 5, subovata, paulo inæqualia, æstivatione imbricata, vix 3‴ longa. Petala decidua, cuneato-obovata, obtusa v. subretusa, circiter 4‴ longa, exsiccatione nigrescentia. Filamenta inæquilonga, glabra, 1–2½‴ longa. Antheræ 1‴ longæ, ovatæ, minutim apiculatæ, flavæ, introrsum dehiscentes, intra rimulam brevem dorsalem filamento junctæ. Pollinis granula globosa. Discus annularis, inæqualiter crenulatus, puberulus. Stylus indivisus, diu persistens, crasso-subulatus, 2–3‴ longus, superne bifariam stigmatosus et ætate tortus, inferne velutinellus. Germen compressum, sessile, in stylum sensim desinens. Ovula ope funiculi brevis mox incrassati in apice loculi angulo centrali superposite affixa. Capsula globoso-reniformis, turgida, coriacea, bilocularis, loculicide dehiscens, unciam lata. Semina pisi majoris magnitudine, arillo flavescente tenui-carnoso circum hilum crispato et incrassato inclusa, alterum horizontale, alterum pendulum. Testa nitens, tenui-coriacea. Embryo exalbuminosus. Cotyledones pæne semiglobosæ, incumbentes. Radicula præbrevis, hila approximata.

Convenit cum Harpulia imbricata (Thw. Enum. of Ceylon Plants, i. 56 ; Streptostigma viridiflorum, Thw. in Kew Miscell. vi. 298) numero seminum, qua nota ab ambabus speciebus Australasicis recedit. H. pendulam invenit ad flumen Clarence Herm. Beckler, ad sinum Wide Bay Car. Moore, ad sinum Broad Sound A. Thozet ; hæc arbor altitudinem 80–100′ attinet. Truncus longitudinaliter intrusionibus percursus est. Lignum pallidum. Medulla saturate fusca. Cortex cinereus, partim secedens, superficie inæqualis. Petala subito breviterque unguiculata, exsiccatione flavescentia, intus parce pubescentia. Filamenta capillaria, exserta. Capsula intus passim puberula. Stylus elongatus. Semina nigra, arillo minuto orbiculari scutellata.

Harpulia Hilli ad flumen Clarence River præcedentibus consociata arborem altiorem sistit, corticem canum satis lævem et quodammodo maculatum ostendit. Flores eos H. alatæ valde simulant.

Leguminosæ.

Daviesia obtusifolia.

Glabra, ramulis angulatis, *foliis oblongis obtusis muticis opacis* horizontalibus indistincte uninerviis obsoletissime venosis in brevem petiolum angustatis, corymbis brevissime pedunculatis paucifloris, bracteolis spathulato-orbicularibus, pedicellis calyce parum duplove longioribus, calycis ecostati labio supero truncato emarginato, infero

breviter dentato, vexillo luteolo, alis carinaque parce purpurascentibus, staminibus liberis, germine breviter stipato acuto.

In planitiebus prope Willonjup Novæ Hollandiæ austro-occidentalis. Mxw.

Frustula tantum fruticis incertæ altitudinis in herbario nostro exstant. Folia glauco-viridia, $1\frac{1}{2}$–$2''$ longa, vix $\frac{1}{2}''$ lata, interdum paulo emarginata et apiculata. Calycis tubus additis labiis circiter sesquilineam longus, virens. Vexilli lamina vix $2'''$ superans. Legumen ignotum.

Flores monstrosos vidi, germinibus vexillisque duobus alisque quatuor præditos.

Species probabiliter ad D. alternifolium me nondum visam proxime accedit.

Daviesia adnata.

Glabra, ramis subtrifariam foliosis exalatis, *foliis* plerisque rhombeo-ovatis subcurvatis passim semilanceolatis semper mucronatis *verticalibus crasso-coriaceis striato-rugosis basi latissima haud decurrente sessilibus*, pedunculis sæpius subumbellato-trifloris, pedicellis pedunculo brevioribus, bracteolis spathulato-cuneatis, calycis ecostati labio supero truncato emarginato infero breviter dentato, vexillo luteolo, carina torsione apicis rostrata, staminibus liberis, germine angusto utrinque attenuato.

Ad sinum South-West Bay Novæ Hollandiæ austro-occidentalis. Maxw.

Frutex, ut e frustulis suppetentibus apparet, validus. Rami ætate teretes, cicatricibus foliorum delapsorum magnis oblongo-linearibus notati. Folia seniora $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}''$ longa, $2\frac{1}{2}$–$4'''$ lata, pungenti-cuspidata; mucro margini inferiori continuus. Pedicelli calycis longitudinem excedentes, apice articulati. Calyx præter basin stipiti-formem in pedicellum attenuatam circiter sesquilinearis. Vexillum orbiculare, majusculum, breviter unguiculatum, 3–$4'''$ metiens. Legumina haud suppetunt.

Species e serie D. incrassatæ, D. polyphyllæ, D. Preissii et D. angulatæ, quarum omnium diagnoses cognitione leguminum olim amplius exponendæ.

Daviesia cardiophylla.

Glabra, ramulis angulatis, *foliis parvis cordatis sessilibus* acutis mucronatis uninerviis vix venosis, *pedicellis solitariis gracilibus* basi minutim imbricato-bracteatis calyce fere duplo longioribus, calycis labio supera truncato emarginato, infero breviter dentato, vexillo intus subvitellino extus pæne purpurascente, carina sursum longe angustata, staminibus liberis, germine sessili.

In planitiebus sabulosis prope Belgarup, Novæ Hollandiæ austro-occidentalis. Aug. Oldfield.

Fruticulus adnotante inventore 1–2′ altus. Folia crasso-coriacea, utplurimum 3–4‴ longa, sæpius basin versus incurva, cum cicatrice fere horizontali distincte articulata ideoque exsiccatione facile secedentia. Bracteolæ rotundatæ, ciliolatæ. Calyx vix 2‴ longus, obscure purpurascens, indistincte costatus. Petala longiuscule unguiculata. Vexillum circiter 4‴ latum. Stylus gracillimus, 2‴ longus. Germen angustum. Legumen nondum collectum.

Speciem a D. Drummondii, quæ monente Oldfieldio altitudinem 8′ attinet, jam diversam habeo propter foliorum basin haud sine ulla articulatione in ramulos decurrentem. Aliis notis præter foliorum formam (in cogeneribus passim valde variabilem) cum illa specie satis convenit, quantum e parcis speciminibus fructu orbatis liquet. Foliorum forma quidem similior est D. ruscifoliæ, late per regiones aridas a sinu Spenceri usque ad flumen Macquarie divulgatæ et D. umbellulatæ nimis affinis, recedit attamen jam calycis labio supero non acute profundeque bidentato.

Daviesia abnormis.

Pubescens, ramulis validis teretiusculis, foliis angusto-lanceolatis sessilibus mucronatis inferne canaliculato-concurvis, pedicellis solitariis calyce brevioribus, calycis obconico-campanulati dentibus subæqualibus, *petalis omnibus flavis, vexillo ovato-orbiculari gradatim in unguem attenuato* majusculo, carina parum incurva, staminibus liberis, germine angusto.

Ad sinum South-West Bay Novæ Hollandiæ austro-occidentalis. Mxw.

Frutex incertæ magnitudinis. Ramuli molliter et densius quam folia pubescentes. Folia pleraque erecta, nulla valde patentia, $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}$″ longa, circiter 2‴ lata, uninervia, indistincte venosa, in cuspidem sensim contracta. Pedicelli floriferi in speciminibus acceptis tantum 1‴ longi, basi bracteolis bracteisque paucis ovalibus et orbicularibus obsessi. Calyx 2‴ longus, dilute virens, ecostatus, dentibus deltoideis ciliolatis. Lamina vexilli longior quam latior, fere concolor, circiter 4‴ longa. Alæ exceptis unguibus 3‴ longæ, oblique semihastato-oblongæ, carina obtusiuscula vix superatæ. Antheræ oblongæ, pæne $\frac{1}{2}$‴ metientes. Legumen ignotum.

Species habitu non minus quam florum formatione singularis et quasi abnormis.

Araliaceæ.

Panax Murrayi.

Altissimus, *trunco rectissimo apice tantum ramoso, foliis* pluri- v. multijugis simpliciter pinnatis, *foliolis* herbaceis glabris oblique ovato- v. oblongo-lanceolatis rariusve ovatis integerrimis v. minutim denticulatis *utrinque virentibus et nitentibus, paniculis terminalibus*

amplis subtilissime puberulis, pedunculis ultimis racemoso-dispositis, pedicellis umbellatis, stylis perbrevibus recurvo-patentibus basi paulo coàlitis, baccis læte cœruleis subrotundis turgidulis.

In vallibus montium silvaticorum sinum Twofold Bay versus.

Arbor statura palmarum superbiens, trunco gracili simplicissimo usque ad 60′ alto apice fere trichotome ramoso gaudens, frondis coma ratione arboris parva valde insignis est. Petioli semicylindracei, utplurimum spithamæi. Rachis foliorum sæpe ulnaris, fere cylindraceus, nunquam ramosus, juga foliolorum 20 vel pauciora gignens. Foliola exsiccatione nigrescentia, acuta v. acuminata, in petiolulum semuncia sæpius breviorem canaliculatum angustata, exceptis imis nonnunquam brevioribus 3–7 longa, pennivenia. Pedunculus primarius crassus, digitum longus et longior; pedunculi secundarii patentissimi, angulosi, pedunculos plures v. numerosos graciles pollicares v. breviores umbelliferos producentes. Bractea ad basin pedunculorum specialium brevissima, triangularis, concurva. Pedicelli cujuscunque umbellæ plures, passim multi, $1\frac{1}{2}$–2‴ longi. Flores nondum reperti. Baccæ succulentæ, amœne cœrulescentes, $1\frac{1}{2}$–2‴ longæ et latæ, stylis tantum $\frac{1}{4}$–$\frac{1}{3}$‴ longis terminatæ, casu trispermæ.

Speciem nobilissimis regni plantarum Australasicis pertinentem signavi nomine Patricii Murray, provinciæ, quæ hancce stirpem superbam producit, judicis, qui ibidem summo favore indagationes meas phytologicas adjuvit. Panax elegans, nuper etiam a cl. A. Thozet prope Rockhampton repertus, facillime a P. Murrayi dignoscendus est, foliis composito-pinnatis, foliolis brevioribus basi obtusioribus subtus pallidioribus et ibi vix nitentibus, stylis erectis, baccis majoribus minus turgentibus forsan nigritis et habitu alieno etsi arboreo. P. cephalobotrys jam habitu pæne scandente, foliis minoribus et baccis sessilibus subovatis divergit. P. sambucifolius, quocum P. dendroides et P. angustifolius formis innumeris mirum in modum variantibus confluunt, glabritie fere perfecta, foliis minoribus frequentius composite quam simpliciter pinnatis sæpe pari foliolorum basali ferme bracteiformi præditis, foliolis semper subtus opacis glaucisque et haud raro subsessilibus nonnunquam linearibus v. in segmenta linearia dissectis, pedunculis gracilioribus frequenter longioribus, umbellis irregulariter non racemoso paniculatis denique baccis albidis v. dilute cœrulescentibus abunde differt. Hæc ultima species non solum a regionibus subtropicis Australiæ orientalis in Australiam felicem et Novam Angliam extendit et ibidem alpes ascendit, sed etiam in Tasmaniæ silvis orientalibus juxta flumen Douglass River a cl. Dr. Milligan reperta fuerit.

Species aliæ duæ secundum exemplaria meliora alio tempore describendæ nemora Australiæ orientalis calidioris ornant.

Panacem Murrayi, quantum e ramulo tantum foliifero judico. juxta flumen Clarence clar. Beckler reperisse videtur.

Panax macrosciadeus.

Foliis longe petiolatis *radiato* 6–7-*foliolatis* glabris, foliolis membraneis ovato-lanceolatis v. subovatis acuminatis integerrimis rarius antice parce dentatis in petiolulum angustatis utrinque virentibus, *umbellis magnis compositis, radiis primariis prælongis* numerosis, secundariis fructum subæquantibus, stylis brevibus recurvis, baccis magnis biloculatis cyaneis, seminibus valde compressis.

Ad portum Molle insularum Cumberland Islands. Eug. Fitzalan.

Petioli semipedales et breviores, teretes, basi vaginato-ampliati. Foliola 3–6″ longa, $1\frac{1}{2}$–2″ lata, tenuiter penninervia, parce pellucido-punctata. Petioluli superiores sæpius unciam excedentes, inferiores breviores, nonnunquam perbreves. Pedunculus generalis elongatus; pedunculi speciales umbellularum filiformes, angulati, striati, plures pollices longi. Bracteolæ lineari-subulatæ, 2–3‴ longæ. Pedicelli cum pedunculis saltem ætate glabri. Flores nondum reperti. Baccæ cordato- v. renato-rotundæ, sæpius 4‴ longæ et 6‴ latæ, stylis semilinea vix longioribus terminatæ, satis succulentæ, compressæ. Semina livida, 3–4‴ longa.

Aralia Moorei.

(Sect. Sciadophyllum.)

Glabra, foliis radiato 5–7-foliolatis longe petiolatis, *foliolis* coriaceis ovatis v. lanceolatis integerrimis longiuscule petiolulatis reticulato-venosis *longe acuminatis, umbellis in racemos dispositis,* pedicellis flori pentamero fere æquilongis, petalis cohærentibus.

In Australia orientali subtropica. C. Moore.

Petioli cylindracei. Petioluli 1–3″ longi, teretiusculi. Folia 3–6″ longa, $\frac{3}{4}$–$2\frac{1}{2}$″ lata, penninervia, prominenter venosa, basi obtusa. Racemi (quantum ex unico imperfecto specimine prodit) numerosi, in pedunculo communi crasso pedali et longiore sursum sensim acutiore deflexi, pauci- v. pluripollicares, ex umbellis numerosis alternantibus constantes; pedunculi umbellularum speciales $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}$″ longi, graciles. Flores unisexuales, femini ignoti. Petala florum masculorum 1‴ longa, more Vitis colyptratim cohærentia. Filamenta capillaria, petalis paulo breviora. Antheræ flavæ, oblongæ, $\frac{1}{2}$‴ metientes. Styli rudimentorii. Fructus nondum reperti.

Species congeneribus Javanicis, nempe Sciadophyllo subaveni, S. tomentoso, S. elliptico et S. divaricato approximanda.

Brassaiam actinophyllam (Endl. Decad. Nov. Stirp. Mus. Vindol. i., p. 89) nuperius prope flumen Boyn reperit Carol. Moore, et eandem recentissime in expeditione æstuarium fluminis Burdekin versus juxta portum Molle collegit Eug. Fitzalan. Arbor 40′ altus evadit. Cortex lævis. Foliola variant numero usque 16, forma late ovata, sunt sæpe acuminata, nonnunquam ad longitudinem paucorum pollicum reducta, basi rotundato-obtusa,

non raro omnino edentata. Racemi passim ad sesquipedis longitudinem reducti. Pedunculi secundarii interdum, ne quidem ætate, semuncia breviores. Bractea basalis pedunculorum specialium decidua, semilanceolata, longe sursum acutata, circiter $\frac{1}{2}'''$ metiens. Flores fide adnotationis Mooreanæ scarlatini. Bacca exsucca, e coccis 12–14 constans, pisi majoris magnitudine. Semina oblique ovata, valde compressa, $1\frac{1}{2}'''$ longa, plana, loculos demum evanescentes explentia. Infelici Leichhardtio stirps eadem in suo itinere primo per Australiam orientalem intra tropicam obvenisse videtur.

Loranthaceæ.

Viscum incanum.

Hook. Icon. 73. (Sect. Lysianthera.)

Monoicum, *indumento pulverulento cinereo v. ex aureo canescente vestitum* passim glabratum, ramulis teretibus superne compressis indistincte articulatis, foliis oppositis ovatis vel rhombeo- v. ovato- v. spathulato- v. lineari-oblongis tenuiter tri- v. quinquenerviis, cymis paniculisve simplicibus axillaribus alaribus et terminalibus, pedunculis secundariis primario brevi longioribus ternatis vel racemosis rarius solitariis, floribus brevissime pedicellatis in receptaculo convexo capitatim vel fasciculatim confertis, *filamentis brevissimis* basi laborum calycis insertis, antheris a calyce liberis, baccis ovatis viridibus limbo calycis coronatis, embryone solitario tereti-clavato inverso albumen semiæquante, cotyledonibus acutatis radicula duplo brevioribus et tenuioribus.

In ramis Eucalyptorum, Angophorarum aliarumque arborum nec non passim in earum Loranthis parasita, e vicinia sinus Twofold Bay usque ad flumen Burnett proveniens.

Planta polyclada, indumento suo sæpius aureo valde conspicua. Ramuli dichotomi. Folia $\frac{3}{4}$–$2''$ longa, $\frac{1}{4}$–$1\frac{1}{4}''$ lata, plana, acuta v. obtusa, integerrima, in brevem petiolum angustata, supra tandem glabrescentia, subtus conspicius et sæpe aureo velutinella, nonnunquam utrinque glabra. Pedunculi primarii sesqui- usque pauci-lineares, interdum obliterati; secundarii oppositi, racemoso-dispositi vel ternati, basi bractea cymbiformi deltoidea v. semilanceolata $1'''$ sæpe breviore suffulti. Receptacula 1–$1\frac{1}{2}'''$ lata, convexa, velutinella, basi bracteis minutis sustenta. Calyces masculi linea breviores, 4- rarius 3- v. 5-partiti, laciniis deltoideis intus flavo-virentibus. Filamenta brevissima aut vix ulla. Antheræ minutæ, introrsæ, dorsifixæ, lividæ, fere cordato-rotundæ, irregulariter transverse dehiscentes, secundum cl. J. Hooker primum bi- demum unilocu-lares. Pollen flavum, e granulis ovato-globosis lævibus rumpentibus constans. Flores fœmini masculis majores; limbi dentes 4 rarius 3–5, iterum deltoidei et intus flavo-viriduli, vix $\frac{1}{2}'''$ longi. Stigma perminutum, subsessile, hemisphæricum, brunneum, ætate

leviter bilobum. Bacca succulenta, $2\frac{1}{2}$–$3'''$ longa, indumento aureo canove pulverulento conspersa. Semen compressum, ovatum, $1\frac{1}{2}$–$2'''$ longum, visco involutum. Testa membranea. Albumen copiosum. Embryo tenuis.

Species propter antheras vix calyci adnatas et forsan antherarum dehiscentiam subgenus aut si mavis genus proprium sistens, a Tupeia, cui a cl. Endlicher (Gen. Pl. 801) et ab ill. Jos. Hooker (Fl. Antarct. ii. 292) dubie adscripta, limbo calycis fructiferi persistente, antheris unilocularibus non rimis distincte lateraliter dehiscentibus et tenuitate cotyledonum recedit. Tupeiæ autem affero Ginalloam Arnottianam (Korth. Verhandl. Batav. Genootschap, xvii. 260, Miq. Flor. Ind. Batav. i. 807) inflorescentia tantum ut videtur diversam.

Compositæ.

Eurybia iodochroa.

Fruticosa, ramosissima, ramulis puberulis, *foliis parvis* alternis coriaceis oblongo-spathulatis supra nitentibus glaberrimis *subtus subargenteo-incanis* margine recurvis integerrimus v. antice 1–3-dentatis, capitulis solitariis subsessilibus, involucri squamis pauciseriatis extus glandulosis, *corollis disci subviolaceis* parum puberulis, ligulis pluribus, acheniis sericeis, pappi setis biseriatis scabriusculis extimis perbrevibus.

In rupibus graniticis ad flumen Genoa River.

Frutex habitu E. pimeloidis. Folia numerosa, patentia, bi- v. pauci-linearia, in petiolum brevem angustata. Involucri squamæ interiores circa $2\frac{1}{2}'''$ longæ, apice purpurascentes et lacero-fimbriolatæ, ceteræ gradatim breviores. Corollæ radii violaceæ; disci infra medium subito gracillimæ, pæne $2'''$ longæ. Achenia circiter $1\frac{1}{3}'''$ longa, subcompressa, in basin attenuata. Pappus albidus, sæpius $2'''$ metiens.

Goodeniaceæ.

Goodenia cistifolia.

A. Cunn. in Cand. Prodr. vii. 516. Vriese Goodenov. p. 150. (Sect. Prostospermum.)

Fruticulosa, diffusa, *dense breviterque glanduloso-puberula, foliis lato- v. lanceolato-linearibus v. passim inferioribus oblongo-lanceolatis* integerrimis margine revolutis, pedicellis angulatis axillaribus solitariis folia subæquantibus supra medium articulatis et bracteolas duas foliaceas lineares gerentibus, calycis lobis angusto- v. lanceolato-linearibus tubo brevi longioribus, corollis præter alas obtusas violaceas extus stellari-velutinis intus juxta ungues labii inferi reverso-setulosis eglandulosis ceteroquin glabris, indusii ore albo-ciliato, ejusdem dorso cum stylo pubescente, *capsulis* subovatis basi tantum septigeris *quadrivalvatis dispermis*,

seminibus caruncula parva carnosa suffultis oblongo-ellipsoideis vix compressis lævibus nitenti-lividis margine alari prominulove orbatis.

Ad flumen Hunter's River. All. Cunningham.

In planitiebus montibusque aridis virgultosis sinui Twofold Bay et monti Imlay vicinis.

Fruticulus sesqui- usque paucipedalis, foliosus, injucunde subamarus. Rami sæpe numerosi, lineolis a basi foliorum decurrentibus magis minusve angulati. Folia uncialia v. breviora, rarius longiora, 1–2 rarius 4 lineas lata, acutiuscula. Pedicelli articulus inferior compressus erectiusculus, superior patentissimus v. demum deflexus quinqueangulatus. Bracteolæ paucilineares margine revolutæ. Calycis lobi 2–3‴ longi. Corolla circiter semuncialis, bilabiata; alæ parti mediæ loborum pæne æquilatæ, obscure repandulæ; ungues duplice setularum pallidarum serie ciliati; segmenta labii superi libera, labii inferi inferne connata. Antheræ 1‴ longæ, obtusæ, oblongo-lineares, filamentis capillaribus breviores. Stylus albo-villosulus. Germen semisuperum, glanduloso-pulverulentum. Ciliæ indusii primum violacei albæ, breves. Capsulæ circiter 3‴ longæ, ætate in valvas profunde fissæ, basi septatæ. Semina $1\frac{1}{2}$–2‴ longa, lævissima, strophiolo tumescente vix semilineam metiente ad basim prædita, turgida, circumcirca rotundato-obtusa.

G. strophiolatæ non quidem habitu sed floris et fructus structura eximie similis, abs qua specie differt indumento, foliis nec latis nec planis nec sæpius dentatis, bracteolis multo majoribus, corolla intus præter setas nunquam alio indumento munita obtuse alata.

Goodenia tenella.

R. Br. Prodr. 577.

Herbacea, erecta, collo radicis puberulo, caule inferne simplice et aphyllo superne dichotomo, foliis glabris indivisis, radicalibus spathulato- v. lanceolato-obovatis, iis dichotomiarum oblongo-obovatis, bracteis juxta basin pedicellorum oblongis, *pedicellis capillaribus ebracteolatis* flore longioribus, calycis lobis angusto-oblongis tubo pluries brevioribus, *corollæ* parvæ luteæ extus puberulæ intus glabræ *lobis superioribus latere exteriore alatis* latere interiore auriculatis, lobis inferioribus utrinque acutiuscule et conspicue alatis, antheris obtusis, stylo glabro, capsula parva ellipsoideo- v. clavato-cylindracea alte biloculata, *seminibus numerosis perminutis lucentibus* turgidulis sublævibus late ovatis fulvo-canis angustissime marginatis.

In Nova Hollandia austro-occidentali.

Herbula spithamæa v. digitalis. Lamina foliorum radicalium $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}$″ longa. Bracteolæ $1\frac{1}{2}$–3‴ longæ. Pedicelli $\frac{2}{3}$–1″ longi. Calycis lobi vix semilinea longiores. Corolla circiter 4‴ longa, stylum

conspicue superans. Capsula 2–3‴ longa. Semina pæne $\frac{1}{5}$‴ metientia.

Habitus sicut imprimis seminum minuties plantam in viciniam G. paniculatæ, G. purpurascentis et G. lamprospermæ trahunt.

JUNCEÆ.

Dasypogon bromeliifolius.

R. Br. Prodr. 263. Append. to Flind. Voy. ii. 608, t. 8. D. glaber, Laharpe in Mém. de la Soc. d'Hist. Nat. de Paris, iii. 101. D. obliquifolius, Lehm. Plant. Preiss. ii. 53.

Caudice hypogæo, caulibus inferne copiose foliatis undique v. superne copia setarum reverso- v. adscendenti patentium longe et densissime rarius breve hispidis folia superantibus, foliis angustius linearibus, imis brevioribus, *sepalis exterioribus penicillo setarum ipsis longiore cinctis.*

In planitiebus sabulosis Novæ Hollandiæ austro-occidentalis satis frequens, orientem versus saltem usque ad rivum Phillips River progrediens.

Dasypogon Hookeri.

J. Drummond.

Caudice arborescente apice confertissime et longissime folioso, caulibus distanter foliatis copia setularum perbrevium omnino repressarum densissime strigosis, foliis imis latius linearibus basi valde dilatatis caulem subæquantibus folia caulina multoties superantibus, *sepalis exterioribus penicillo setularum ipsis fere triplo breviore cinctis.*

In Novæ Hollandiæ austro-occidentalis locis uliginosis silvaticis haud procul a flumine Vasse River. Drummond et Oldfield.

Species habitu palmacea præsingularis, Richeam pandanifoliam (ait Oldfield) statura imitans. Caudex pluripedalis. Folia in summitate trunci sive caudicis sæpe ulnaria, inferne semunciam lata vel paulo latiora, superne angustiora et in apicem sensim acutata, margine denticulata, subtus virentia, supra pallidiora et hinc profunde striata, basi in vaginam bi- v. pauciuncialem planiusculam antice fimbriolatam sæpe pollicem latam disinentia; folia caulina angustius linearia sensim acutata, inferiora pauciuncialia, superiora gradatim breviora, summa in bractearum formam transientia. Bracteæ capitulum æquantes v. superantes. Capitulum ante perfectam explicationem subglobosum, unciale, ob florum glabritiem superiorem extus non crinitum. Sepala exteriora paulisper ante anthesin 3‴ longa, ut in congenere apice barbellata. Ceteræ floris partes iis D. bromeliifolii aliquotenus similes, sed tantum statu adeo juvenile visæ, ut de eorum discrepantiis in posterum enucleandis taceam. Fructus in nostra collectione non exstant.

Fasciculus XIV. editus initio Novembris 1860.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

XV.

Malvaceæ.

Abelmoschus rhodopetalus.

Herbaceus, perennis, hirsutus, foliis ambitu subcordatis, inferioribus indivisis vel breviter lobatis, ceteris profunde quinque-lobis, omnibus crenato- vel serrato-dentatis, lobis ovato- vel oblongo-lanceolatis sæpius acuminatis, stipulis linearibus deciduis petiolo canaliculato multoties brevioribus, pedunculis axillaribus et terminalibus unifloris calyce plerumque longioribus, *involucri* 9–14-*secti segmentis linearibus patulis post anthesin persistentibus calycem subæquantibus indivisis hirsutissimis*, calycis hinc longitrorse fissi inde breviter bi-trifidi laciniis bi-tridentatis, *petalis roseis* ovato- vel orbiculari-cuneatis extus parum puberulis calyce ter quaterve longioribus, columna glabra, filamentis sigillatim egredientibus vix antheram æquantibus, stylis clavatis puberulis, capsulis ovatis acutatis involucrum superantibus.

Ad rivulos silvaticos juxta partem superiorem fluvii Brisbane et ad promontorium Point Pearce.

Herba sesqui- 3-pedalis, satis flaccida, sæpe decumbens. Petioli inferiores folio passim longiores, superiores iisdem breviores, cum caule pedunculis et involucro patentim vel reverse hirsuti. Stipulæ $1\frac{1}{2}$–3‴ longæ. Folia pleraque $1\frac{1}{2}$–4″ longa, sparsim appresso-pilosa, subtus pallidiora, lobis triangularibus vel ovato-lanceolatis acutiusculis, supremo majore, posticis interdum breviter bifidis. Calyx 7–9‴ longus, pubescens. Petala $1\frac{1}{2}$–2″ longa, læte rubra, repanda, basi saturate rubra et dense albo-ciliata, mox decidua. Columna circiter uncialis, inferne saturatius superne dilutius rubra, prope basin nuda. Antheræ luteæ. Pollen aureum. Styli partes liberæ saturate rubræ, sesquilineam longæ. Stigmata hemisphærica, velutina, saturate rubra. Capsula extus dense hispida, intus pilosula, subovata, acuta, jam statu immaturo, quo tantum visa, paulo ultra unciam longa, polysperma. Semina glabra, nigrescentia, nondum matura lineam vix excedentia.

Species ab Abelmoscho moschato, cui sane finitima, imprimis colore petalorum discedit. Ceterum petala quarumdam Malvacearum exempli causa Althææ roseæ colore roseo et luteo ludere monendum est, dum quoque, nisi fallor, aliquot Hibisci species Australasicæ petalorum colorem simili modo variabilem ostendunt. A ceteris speciebus Indicus, mihi notis, sicut ab altera Australasica (scil. Abel. albro-rubro) suis notis insigniter devellitur.

Hibiscus vitifolius.

Linné Mant. 569 ; Wight et Arn. Prodr. i. 50 ; Miq. Flora van Nederl. Indie i. 161 ; J. Hook. Niger Flora, 227 ; Garcke in Bot. Zeit. vii. 834. (Sect. Ketmia.)

Herbaceus, erectus, pilis stellaribus glandulosis furcatisque dense hirsutus, ramis petiolisque teretibus subtuberculatis, foliis ambitu subcordatis tri-quinquefidis petiolo paulo longioribus, lobis triangulari-lanceolatis acutis irregulariter crenato-serratis, stipulis linearisetaceis petiolo multoties brevioribus, pedunculis axillaribus solitariis unifloris infra medium articulatis, involucri 7–9-secti segmentis lineari-subulatis patentibus vix calycis dimidium æquantibus, calycis 5-partiti corolla fere triplo brevioris laciniis semilanceolatis, petalis obtusis subglabris imberbibus ochroleucis inferne atro-rubris, columna glabra inferne nuda, filamentis solitariis vel geminis anthera aliquoties longioribus quibuscum rubris, stigmatibus nigrescentibus, *capsula depresso-globosa alte 5-carinata glanduloso-hirsuta tenui-rostrata*, loculis 3–4 spermis, seminibus glabris minutim tuberculatis.

In vallibus juxta flumen Dawson.

Herba ulnaris vel humilior, pilis patentibus rigidulis et parce glanduligeris vestitus. Folia 2–3″ longa et lata, tenera, sinu baseos angusto, lobo terminali longiori, lateralibus postice obscure lobulatis. Stipulæ diu persistentes, $1\frac{1}{2}$–2‴ longæ. Pedunculi petiolis subæquilongi. Calyx floriferus semuncialis, fructifer fere 1″ longus, laciniis appressis subtiliter 3-nerviis acutis. Petala fere sesquipollicaria, ochroleuca, exsiccatione flavescentia, parte triente ima atro-rubra. Columna cum filamentis antheris stylisque saturate rubra. Pollen aureum. Stigmata hemisphærica, puberula. Capsula circiter 4‴ alta, valvarum marginibus extus expansis acute 5-carinata, styli basi cylindracea 1‴ longa rostrata, lateribus rotundatis. Semina fusca, oblique ovato-reniformia, 1‴ paulo excedentia. Albumen nullum. Cotyledones planæ, contorte plicatæ. Radicula breviuscula, cylindracea.

Jam Allanus Cunningham H. vitifolium inter plantas Novo-Hollandicas agnovit. Hinc offero diagnosin e speciminibus solummodo Australasicis exstructam. Specimina Indica a clar. Hooker et Thomson communicata indumento velutino gaudent. Celeb. Wight et Arnott indicant involucellum 12-phyllum. Stirps autem Mysorensis acque ad Novo-Hollandica obvenit involucro oligophyllo.

Hibiscus trionum.

L. sp. 981 ; H. trionoides, Don Gen. Syst. i. 483 ; H. tridactylites, Lindl. in Mitch. Three Exped. ; H. Richardsoni, Sweet in Bot. Regist. 875.

Herbaceus, erectus, stellari-subhirsutus, caule terete cum petiolis semiteretibus tuberculato-aspero, foliis glabriusculis ambitu subcordatis tri-quinquepartitis passim trifidis, inferioribus nunc indivisis, lobis trifidis vel pinnatifidis crenato-dentatis obtusis vel acutiusculis, stipulis lineari-subulatis petiolo multo brevioribus, pedunculis axillaribus solitariis unifloris apicem versus articulatis, involucri 7–11-secti segmentis linearibus acutis appressis fere calycem dimidium æquantibus, *calyce membranaceo diaphano inflato striato demum clauso* ad medium 5-fido, laciniis deltoideis subacuminatis basi plicatis, petalis obtusis glabratis basi ciliatis, filamentis in apice columnæ fasciculatis anthera pluries longioribus, capsula globoso-ovata hirsuta, loculis 6–10 spermis, seminibus glabris nitenti-nigris minutim tuberculatis.

In planitiebus fertilibus præsertim basalticis, e. g., Brisbane River, inter flumina Burnett et Dawson, Nepean, Peak Downs, Darling, Hastings River, Cooper's Creek, Victoria River, Sturt's Creek, aliisque locis juxta- v. intratropicis.

Herba $\frac{1}{2}$–3′ erecta, interdum tuberculis destituta, sæpe annua. Radix pluripollicaris, flexuosa, livida, fibrillas tenues copiose exserens. Petioli 1–1$\frac{1}{2}$″ longi. Folia 1–3″ longa, ima interdum orbicularia vel ovata, sinu baseos obtuso vel imperfecto, lobo terminali longiore, lateralibus postice profundius incisis. Stipulæ diu persistentes, 2–3‴ longæ. Pedunculi petiolos vix superantes. Calyx florifer semuncialis, decolor, margine cum striis 20 sæpe tuberculatis virens, post anthesin fere uncialis, laciniis tunc conniventibus. Petala uncialia, albida cremorea v. flavida, fundo læte v. saturate rubra. Columna ad basin papillis albis cylindraceis conspersa, inferne filamenta plura diminuta ananthera gerens, ochroleuca. Filamenta fertilia apicem versus sigillatim conferta, rosea. Antheræ cum polline aureæ. Styli breves. Stigmata rubella, depresso-globosa, subtilissime puberula. Capsula 6–8‴ longa, obtuse apiculata. Semina lineam paulo excedentia.

Speciei vulgivagæ notas hic traditas e plantis Australasicis solum evolvi.

Hibiscus panduriformis.

Burm. Flor. Ind. p. 151, t. 47, f. 2.

Erectus, fruticosus, ramis teretibus tomentoso-velutinis passim simul hispidis, foliis rotundo-cordatis angulatis vel obscure 3–5 lobatis irregulariter denticulatis repandisve petiolo teretiusculo paulo vel duplo longioribus supra virentibus et tenuiter tomentellis subtus dense cano-velutinis, stipulis lineari-subulatis caducis, pedunculis axillaribus et terminalibus solitariis unifloris supra rarius

infra medium articulatis petiolo æquilongis vel brevioribus, *involucri* calycem subæquantis parum patentis 6–8-*secti segmentis oblongo-spathulatis inferne longe linearibus cum calyce velutino-tomentosis*, calycis laciniis sensim acutatis trinerviis immarginatis, petalis flavis calyce triplo duplove longioribus rarius eum paulo superantibus antice extus tomentoso-hirsutis postice rotundato-protractis, columna glabra undique staminifera, filamentis sigillatim exsertis anthera subæquilongis, stylis glabris, stigmatibus puberulis, capsulis calyce paulo brevioribus globoso-ovatis acutiusculis dense fulvoque sericeo-tomentosis, seminibus in quovis loculo 4–6 tenuiter pubescentibus striatis.

Ad fluminis Victoriæ ripas graminosas et subarenosas.

Frutex orgyalis vel humilior, ramis erectiusculis. Folia pleraque 2–4″ longa et lata. Calyx sæpe uncialis, laciniis ætate revolutis, tubo intus glabro. Corolla biuncialis, nonnunquam tantum uncialis, lutea, extus antice paulo fulvescens, fundo saturate rubra nonnunquam concolor. Columna flava. Filamenta suprema ananthera. Antheræ cum polline aureæ. Styli cum stigmatibus semiglobosis flavi. Capsula 6–9‴ longa, pilis rigidis onusta. Semina $1\frac{1}{2}$–2‴ longa, nigro-fusca, præter strias tuberculis minutis et pube fulvescente prædita, rarius glabra.

Clar. J. Hooker hancce speciem in indicem suam plantarum Australasico-Indicarum jam admisit.

Hibiscus solanifolius.

(Sect. Ketmia.)

Fruticosus, hirsutie stellari velutino-tomentosus, foliis cordato-ovatis breviter trilobis v. sinuoso-plurilobis repandis obtusis nonnonquam denticulatis, stipulis deciduis, pedunculis apicem versus articulatis, *involucri* 8–10-*partiti segmentis lineari-subulatis calyce multo brevioribus*, calycis stellari-velutini ultra medium quinquefidi laciniis semilanceolatis corolla aliquoties brevioribus, petalis purpureis roseisve basi atro-sanguineis extus partim stellari-hispidulis haud manifeste in dentem productis, columna corollam vix semiæquante, parte libera filamentorum perbrevi, polline luteo, *stylis superne pilosulis, stigmatibus penicillatis.*

In monte Denison. J. Macd. Stuart.

Frutex incertæ magnitudinis. Folia 1–2″ longa. Pedunculi vix uncia longiores. Involucri segmenta vix sesquilineam superantia. Calyx $\frac{2}{3}$‴ circiter longus, lobis acutis trinerviis marginulatis, nervis lateralibus debilibus. Corolla pæne biuncialis. Stylorum partes emersæ semiconnatæ. Stigmata convexa, e sicco violacea, pallide barbata. Fructum non habeo.

Minus ad H. Elliottii, quam ad H. Krichauffii et H. zonatum appropinquans.

Quædam stirps Arnhemica sub nomine Hibisci microchlæni distributa forsan a H. solanifolio specifice separari nequit. Longi-

tudo involucri evidenter variationibus subjecta est, sic etiam magnitudo florum, indoles vestimenti et forma foliorum.

Hibiscus radiatus.

Cav. Diss. iii. 150, t. 54, f. 2.

Caule erecto herbaceo terete lævi inferne hispidulo superne glabro, foliis inferioribus longiuscule petiolatis subcordatis vix vel plus minus profunde 3–5 lobis serrato-dentatis, lobo medio productiori, foliis mediis 5-partitis breviter petiolatis serratis lanceolato-laciniatis, lobo superiore longiore, infimis sæpe lobulo basali instructis brevioribus; foliis superioribus trisectis brevissime petiolatis in segmenta angusto lanceolata divisis, summis simplicibus subsessilibus segmenta ceterorum simulantibus omnibus supra glabris subtus parcissime hispidulis, stipulis breviusculis lineari-subulatis glabris deciduis, pedunculis axillaribus solitariis unifloris calyce brevioribus vel inferioribus eum subæquantibus: articulo superiore inferiorem longitudine excedente v. inferiore nunc subnullo, involucri 9–10-secti mox patentissimi segmentis compresso-subulatis glabris calycem æquantibus demum eo brevioribus, *calycis* ultra medium 5-fidi *laciniis longe acuminatis crasso-marginatis uninerviis* parce hispidulis, petalis calyce duplo longioribus vix puberulis fere æquilateris basi utrinque colorato-barbatis, columna inferne glanduloso-puberula, filamentorum parte libera solitarie egrediente antheram subæquante, stylis perbrevibus minutim puberulis, stigmatibus depresso-semiglobosis, capsula subglobosa vix apiculata glabra calyce breviore, seminibus in loculo 3–2–1 subverruculosis glabris.

Ad flumen Victoriæ in graminosis et rupestribus.

Herba erecta, simplex vel ramosa, 2–3′ alta, passim hispida, sapore acidulo. Folia pleraque $2\frac{1}{2}$–$3\frac{1}{2}$″ longa, crassiora quam in H. pentaphyllo, nitoris expertia, subtus vix pallidiora. Petala uncialia vel paulo longiora, oblique ovato-cuneata, non in angulum exteriorum acute protracta, alba v. rosea, fundo sanguinea vel coccinea, emarcescendo erubescentia. Columna inferne albida, superne cum filamentis rubra, interdum glanduloso-puberula. Styli albi. Stigmata saturate rubra. Pollen dilute fulvum. Capsula semuncialis. Semina sordide nigro-fusca, angulosa, circiter $1\frac{1}{2}$″ metientia.

Hinc H. heterophyllo, illinc H. pentaphyllo cognatus.

Hibiscus Becklerii.

(Sect. Ketmia.)

Fruticosus, *aculeolatus*, ramis puberulis, *foliis orbiculari-cordatis v. superioribus ovatis indivisis* acuminatis lobulato- et crenato-dentatis supra parcissime strigulosis cetero glabris, stipulis brevibus lineari-setaceis deciduis, *floribus in apice ramorum racemoso-spicatis* aliquot axillaribus, *pedicellis* brevibus v. superioribus brevissimis *basi bracteola in lacinias tres angustissimas inæquales*

dissecta suffultis, involucro et calyce hispidissimis, illius segmentis 7–10 subulato-linearibus dimidium calycem æquantibus v. superantibus, corolla majuscula extus partim puberula, parte libera filamentorum perbrevi, stylis glabris apice breviuscule disjunctis, stigmatibus barbatis, capsulis conico-globosis sericeo-hispidissimis calycem æquantibus brevi-rostratis, seminibus in quocunque loculo 5–6 glabris.

In silvis ad fluvium Clarence. Dr. Beckler.

Frutex, quantum e speciminibus suppetentibus æstimo, dissite ramosus. Aculeoli conici, mucronulati, linea breviores, ramos et petiolos defendunt. Folia inferiora longius superiora brevius petiolata; illa 2–3″ longa, omnia ad basin nervi medii subtus glandulam callosam gerentia. Racemus plus minusve elongatus. Bracteolæ diu persistentes; segmentum earumdem intermedium lateralibus longius, sæpe 3–4‴ metiens. Involucellum laxum. Calyx circiter unciam longus, ultra medium quinquefidus, verruculis setigeris conspersus, laciniis uninerviis, margine incrassatis, sursum sensim acutatis, intus apicem et marginem versus albido-tomentellis. Corolla circiter bipollicaris, statu emarcido tantum collecta, quare de colore taceam. Capsula extus setulis fulvido-canis copiosissime tecta, intus autem glabra. Semina vix matura sordide fusca, angulosa, sublævia, opaca, $1\frac{1}{2}$‴ metientia.

H. lunarifolio quoad florum dispositionem et secundum alias notas comparandus.

Hibiscus magnificus.

(Sect. Ketmia.)

Fruticosus, elatus, patentim ramosus, ramis copia aculeolorum conicorum obsitis, *foliis breviuscule petiolatis indivisis vel tripartitis*, simplicibus segmentisque lanceolato-oblongis crenato-serratis planis supra glabris lævibus subtus et secus marginem aculeolatis hirsutie rara conspersis, glundula ad basin nervi medii oblonga, stipulis minutis setaceis caducissimis, *pedunculis glabris vel parum pubescentibus* axillaribus terminalibus solitariis unifloris cum ramo articulatis calycem subæquantibus vel eodem brevioribus, involucri 10–12-partiti segmentis calyci subæquilongis vel eo superatis lineari-filiformibus appressis, *calyce parce setuloso vel parum stellari-tomentoso* profunde 5-fido, laciniis triangulari-lanceolatis acutatis uninerviis marginatis, *petalis luteis calyce fere quinquies longioribus* obtusis basi coccineo-zonatis, columna præter basin undique staminigera subpapillosa, filamentis seorsis anthera vix longioribus, polline violaceo, stylis alte connatis, capsula ovato-globosa sericea calycem vix excedente, seminibus in quovis loculo 4–7 fuscis angulatis minutim verruculosis.

In montibus Newcastle Range; ad fluvia Mackenzie et Dawson.

Frutex 10–16′, ramis elongatis flexilibus. Ramuli teretes, glabri, sæpe aculeis circiter 1‴ longis mucronulo brevi terminatis conspersi.

Folia petiolo tereti semunciali vel breviore interdum brevissimo insidentia, iis Hibisci heterophylli simillima, æque ejus sapore acido prædita, pleraque 2–4″ longa, 4–8‴ lata, obtusa, supra saturate viridia, nitidula, subtus paulo pallidiora. Glandula basalis $1\frac{1}{2}$–4‴ longa, depressa, linearis vel oblonga, rima longitudinali aperta, in nervo segmentorum lateralium nulla vel minus perfecta. Stipulæ circiter 1‴ longæ, tenuissimæ. Pedunculi teretes, superne incrassati, 4–8‴ longi. Involucri segmenta setulis minimis conspersa, inferne sensim paulo latiora. Calycis laciniæ 4–6‴ longæ. Petala obovato-cuneata, lutea, 2–$2\frac{1}{2}$‴ longa, ad marginem exteriorum rubella, fundo non nisi supra unguem zona coccinea utplurimum valde angusta notata, ad unguem saturate rubro-barbata, extus plus minus puberula, oblique obovato-cuneata, non in angulum producta. Antheræ purpureæ. Columna papillis hyalinis minutis conspersa, cum filamentis seorsum egredientibus rubra, inferne albida. Styli glabri, atropurpurei. Stigmata convexa, subtilissime puberula, fere nigra. Capsula 8–10‴ longa, brevissime acuminata, pilis albidis mox flavescentibus rigidis sericea. Semina squalide fusca, acute angulata, circiter $1\frac{1}{2}$‴ metientia.

A Hibisco heterophyllo, nisi formis adhuc ignotis cum hac specie confluit, sufficienter discrepans tam colore petalorum, quam absentia tomenti densi velutini calycum et pedunculorum. Ad H. cannabinum aliquotenus accedit.

Ilicineæ.

Byronia Arnhemensis.

Foliis chartaceis elliptico-ovatis apice obtusis basi in petiolum acutatis, umbellis simplicibus paucifloris, bracteolis perminutis, *calyce profunde 5–7-lobo ciliolato, stigmate valde convexo* parvo, fructu sæpius 12-pyreno.

In vallibus ad montem Providence Hill terræ Arnhemicæ.

Folia glabra, pleraque 3–4″ longa, uninervia, pennivenia, leniter reticulari-venosa, subtus pallidiora. Petioli $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}$″ longi, cum ramulo distincte articulati. Pedunculi longitudine fere petiolorum, teretiusculi compressi. Pedicelli 3–6‴ longi, graciles. Bracteolæ semiovatæ v. deltoideæ. Calycis lobi subrotundi, $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}$‴ longi, æstivatione imbricati. Corolla paulisper persistens, glabra, calycem vix æquans, sed statu emarcido tantum visa et fortassis ætate contracta, lobis subovatis obtusis. Stamina ignota. Stigma nigrescens, $\frac{1}{2}$‴ latum, basi passim dilatatum. Fructus tantum statu juniore visus pisi magnitudine.

Species B. Tahitensi et B. Sandwicensi, si statu provectiore erit nota, ulterius comparanda, ordinem Aquifoliacearum adhuc solitarie in vegetatione Australiæ repræsentans. Attamen aliæ ordinis stirpes in silvis Australiæ boreali-orientalibus fortasse latent.

Leguminosæ.

Bossiæa Walkeri.

Aphylla, ramis planis foliaceo-dilatatis coriaceis striolatis, pedicellis solitariis calyce parum brevioribus basi bracteatis, calycis labiis subæquilongis lanuginoso-ciliolatis, supero divergenti-bilobo, inferi laciniis oblique semilanceolatis, *corolla magna glabra, vexillo alas æquante carina superato, legumine elongato* angusto-oblongo stipitato glabro pleio- v. polyspermo.

In pinetis montium Peel-Range inter flumina Lachlan et Murrumbidgee. Alex. Walker.

Species habitu ramis et inflorescentia B. ensatæ, quæ a B. Scolopendria forsan specifice non distinguenda, accedit. Pedicelli 3–4‴ longi, basi tantum ut videtur bracteolis parvis rotundatis et ciliolatis cincti, nisi bracteolæ superiores ante anthesin adsint. Calyx 4–5‴ longus, extus glaber, intus superne puberulus, medio-tenus bilabiatus ; labium superum pæne quadratum, conspicue bilobum, lobis extrorsum acutiusculis fronte rotundatis. Vexillum statu sicco apicem versus fulvo-vitellinum, basin versus rubicundum, orbiculare, ferme 5‴ longum, ungue sesquilineari præditum. Alæ angusto-oblongæ, basi dimidiato-hastatæ, apice obtusæ, e fulvo et rubro tinctæ, circiter $1\frac{1}{3}$‴ latæ ; lobus basalis $\frac{2}{3}$‴ metiens, sinulo profundo ab ungue 1–$1\frac{1}{2}$‴ longo sejunctus. Petala carinæ infra apicem cohærentia, 6–8‴ longa, alis forma consimilia, saturate purpurascentia. Filamenta supra medium inæqualiter connata. Antheræ dorsifixæ, oblongæ, circiter $\frac{1}{3}$‴ metientes. Pollen luteum, e granulis lævibus ellipsoideis rima longitudinali hiantibus constans. Stylus glaber, circa $2\frac{1}{2}$‴ longus. Stigma minimum. Legumen plerumque inter 2 et $2\frac{1}{2}$″ longum, planum, circiter $\frac{1}{3}$″ latum, stipite calycem vix æquante suffultum, apice subito stylo persistente rostratum, statu maturo nondum visum.

Species in honorem inventoris nominata, abs qua B. phylloclada (F. M. in Transact. Philos. Inst. Victor. iii. 52) bracteolis etiam post anthesin medium pedicelli occupantibus, carina lanuginoso-ciliolata vexillo æquilonga alas superante et forsan legumine differt, dum B. ensata et B. Scolopendria pedicellis superne diu bracteolatis, floribus minoribus, vexillo carinam et alas superante rarius æquante nunquam quam illa conspicue breviore nec non leguminum brevitate facile distinguuntur.

Bossiæa aculeata.

Ramulis teretiusculis angulatis subsericeis, *stipulis longis subulatis recurvis pungentibus*, foliis remotiusculis lanceolato-linearibus subsessilibus acutis mucronatis subcanaliculatis appresso-puberulis, pedicellis solitariis stipulas subæquantibus calyce paulo brevioribus prope medium bracteolas duas majusculas rhombeo-rotundas geren-

tibus, *calycis labio supero lenissime emarginato semiorbiculari*, labii inferi paulo longioris lobo medio cymbeo-ovato acutiusculo lobos laterales deltoideo-orbiculares paulo superante, vexillo carinam latam imberbem æquante alas superante, filamentis alte connatis, pistillo glabro, germine plurigemmulato.

In arenosis ad rivum Culjong Australiæ occidentalis. A. Oldfield.

Fruticulus, e fragmentis suppetentibus, debilis. Rami indumento cano appresso breviter vestiti. Stipulæ aculeiformes, circiter 2‴ longæ, inferne appresso-puberulæ et parum compressæ, superne glabræ et rufescentes, diu persistentes. Folia sæpe uncialia, nervo medio subtus prominulo supra vix in conspectum veniente, subtus plus minus venosa. Bracteæ ad basin pedicellorum parvæ, amplexantes. Bracteolæ oppositæ, 1‴ longæ, uninerves, apiculatæ v. imperfecte mucronulatæ, apice barbatæ. Calyx glaber, circiter $2\frac{1}{2}$‴ longus, extus parcissime pilosulus; lobi ciliolati, æstivatione imbricati. Vexillum complicato-obcordatum, stipatum. Alæ 3‴ longæ, oblique ovato-cuneatæ, lobo basali perbrevi obtuso, ungue 1‴ longo angusto. Carinæ petala apicem versus connata; lamina vix 4‴ longa, semiorbiculari-cuneata, basi hinc truncato-obtusa, ungue gracili vix $1\frac{1}{2}$‴ longo. Antheræ oblongæ, $\frac{1}{3}$‴ metientes. Pollen luteum. Stylus fere 4‴ longus, adscendens. Stigma minutum, depressum. Germen lineari-falcatum. Legumen incognitum.

Stipularum mole a congeneribus longe diversa.

Desmodium biarticulatum.

Dicerma biarticulatum, Cand. Prodr. ii. 339; Wight & Arnott, Prodr. 230; Wight, Icon. ii. 419; Hedysarum biarticulatum, Linn. Spec. Plant. 1054.

Suffruticosum, multicaule, erectum vel decumbens, subappresso-pubescens, ramis teretiusculis, foliis trifoliolatis longiuscule petiolatis, *stipulis in solitariam trifidam setaceo-laciniatam concretis*, foliolis parum inæqualibus lanceolato- vel ovato-oblongis in basin sensim angustatis planis brevissime petiolulatis, stipellis lanceolato-subulatis perminutis, racemis terminalibus breviter pedunculatis pauci-plurifloris, pedicellis solitariis vel geminis bracteas 3 lanceolato-subulatas calycemque vix æquantibus, calycibus basi bibracteolatis, *leguminis articulis* 1–3 *rotundo-ovatis* compressis sericeo-pilosis seminibusque minutis.

Ad ripam arenosam fluvii Nicholson, inde usque ad flumen Burdekin.

Suffrutex 2–3′. Petioli semiteretes, 3–6‴ longi. Stipulæ petiolo oppositæ, 4‴ longæ, ramo appressæ. Stipellæ petiolulo breviores. Foliola $\frac{1}{3}$–1″ longa, 2–3‴ lata, utrinque parce pubescentia. Racemi florentes breves, fructiferi ad 6″ longi. Calyces 2‴ longi, minutim puberuli, labio superiore acute breviterque bidentato, inferiore

paulo longiore 3-fido, laciniis lanceolatis acuminatis. Bracteolæ lanceolatæ, calyce breviores. Petala rosea, glabra. Vexillum subrotundum, 2–3‴ longum, in unguem brevem angustatum, ecallosum. Alæ oblongæ, ungue tenui. Carina alis subæquilonga, vexillo brevior. Stamina diadelpha. Antheræ conformes. Stylus glaber. Stigma minutum, capitellatum. Leguminis articuli 2–2½‴ longi, ad apicem et basin rotundati vel truncati. Semina fere 1½‴ longa, flavescentia, lævia, nitida, estrophiolata. Icon Wightiana effigiem nostræ plantæ haud clare exprimit. Sed species Indica et Australica indigitante Josepho Hookerio sunt eædem. (Conf. Præfationem ad Floram Tasmanicam, p. xliii.) Tavernieram non minus ac Dicerma generi Desmodio subjungendam esse putavi.

Desmodium acanthocladum.

Dicerma acanthocladum, F. M. coll.

Ramis pilosulis mox glabratis acute angulatis flexuosis, *ramulis spinescentibus*, foliis trifoliolatis breviuscule petiolatis, stipulis parvis liberis e basi deltoidea sensim valde acutatis, foliolis lateralibus parvis ovatis oblongisve terminali altius petiolulato conspicue brevioribus, omnibus planis supra glabris subtus parce strigillosis, stipellis perminutis subulatis, pedicellis axillaribus solitariis geminisve v. terminalibus breviter racemosis prope vel infra medium bracteolas duas perpusillas ovato-lanceolatas acuminatas gerentibus bracteas stipuliformes superantibus, *leguminis articulis 1–2 oblique ovato-lanceolatis in basin et apicem acutatis pube hamulata breviter hispidulis* seminibusque majusculis.

In silvis ad flumen Clarence. Dr. H. Beckler.

Ramuli numerosi, breves, in spinam terminantes. Foliola pinnatim nec ut in D. biarticulato palmatim trifoliolata; medium ½–1″ longum, 1–2‴ latum, subcuneato-oblongum, lateralibus sæpe duplo longius, vix tamen latius. Stipulæ nervosæ, scariosæ, glabriusculæ, fere 1‴ longæ. Calycis labium superius fere deltoideum, brevissime bidentatum; labii inferi laciniis triangularibus, acutatis, fere æqualibus. Petala glabra, quantum e statu eorum emarcido judicandum, rosea. Vexillum orbiculatum, in unguem brevem angustatum, quocum 4‴ longum. Carinæ petala et alæ fere conformes, circa 3‴ longæ, oblique semihastato-ovatæ, gracile et breviuscule unguiculatæ. Stamina, filamento vexillari omnino libero, diadelpha; novem apice summo tantum libera. Stylus glaber, sub anthesi breviter stamina superans. Stigma perminutum, capitatum. Legumina fusca, ex articulis ⅓–½″ longis facile delabentibus constantia, tarde dehiscentia; valvæ subtiliter reticulari-venosæ. Semina satis compressa, circiter 2½‴ longa, livida, reniformi-ovata. Funiculi et strophiola nulla.

Unica e speciebus decem Australasicis mihi cognitis, quæ spinescens evadit.

Millettia Blackii.

Scandens, foliis 2–5-jugis, foliolis chartaceis lato- vel oblongo-ovatis obtusiuscule acuminatis supra glabris subtus appresso-puberulis, paniculis racemosis compositis, pedicellis in pedunculo partiali brevi geminis rarius solitariis subsericeis gracilibus, calycibus extus sericeis intus glabris, dentibus inferioribus deltoideis, *vexillo* antice extus sericeo intus ad basin vix callosam leniter barbellato *carinaque purpureo-atris alas longe superantibus*, leguminibus lanceolato- v. elongato-oblongis pilosulis.

Ad sinum Moreton Bay. W. Hill. Ad flumina Clarence & Hastings River. H. Beckler. Hisce locis B. scandenti et Pithecolobio pruinoso consociata.

Frutex alte scandens. Ramuli teretes, glabrati, lenticellati. Folia simpliciter impari-pinnata. Petioli circiter unciales v. breviores, cum rachi bi- usque quinque-pollicari canaliculato puberuli vel subsericei. Stipulæ nullæ. Foliola opposita v. subopposita, petiolulo lineam paulo excedente subsericeo sustenta, utplurimum 1–1½″ longa, quasi penninervia, tenuiter reticulari-venosa, supra nitida, subtus opaca. Stipellæ minutæ, subuliformes, ad basin petiolulorum solitariæ, caducæ. Inflorescentia semper ampla, nonnunquam amplissima, decomposita, e paniculis racemiformibus alternantibus pauci- vel pluripollicaribus constans. Pedunculi speciales ultimi 2‴ longi v. breviores, passim obliterati. Bracteæ rotundo-ovatæ, membraneæ, vix ultra 1‴ longæ, obtusæ, dorso sericeæ, mox deciduæ. Bracteolæ juxta basin pedicellorum 1–2‴ metientium geminæ, fugaces, lanceolato-cymbiformes, circiter ⅔‴ longæ, extus sericeæ. Calyces oblique semiovato-campanulati, vix 2‴ longi, dentibus duobus superioribus brevissimis rotundato-obtusis, 3 inferioribus acutis circiter ½‴ longis. Vexillum orbiculari-cordatum, obtusum, apice lenissime emarginatum, fere 3‴ longum, ungue angusto pæne 1⅓‴ metiente gaudens. Alæ addito ungue vix 2‴ longiores; lamina fere semihastato-ovata, pallidior ac eæ petalorum ceterorum. Carinæ petala antice cohærentes, dimidiato-cordata, obtusa, cum alis glabra; unguis ei vexilli similis. Stamina perfecte diadelpha. Filamenta novem ultra medium connata. Antheræ conformes, ⅔‴ longæ, flavæ, subovatæ, apice attenuatæ, basi obtusæ; connectivum saturate violaceum. Stylus 2–2½‴ longus, curvato-subulatus, secus superficiem pilosulus. Stigma minutum. Germen albido-sericeum. Legumina longitudine 1⅓–3″ variantia, ½–⅔″ lata, plana, aptera, apice obtusa, in basin sensim angustata, stipite sericeo-tomentoso calycem immutatum vix superante prædita. Valvæ ramulis percursæ. Semina solitaria v. pauca, statu matura nondum observata.

Speciei adposui nomen cl. Allani Black, herbarii Hookeriani custodis, qui primo hujus stirpis positionem genericam determinavit.

Propter corollæ (nec tamen calycis) colorem nostra planta in viciniam Millettiæ atropurpureæ (Pongamiæ atropurpureæ, Wall. Plant. Asiat. rarior. tab. 78) trahenda erit.

Myrtaceæ.

Bæckea polystemonea.

(Sect. Camphoromyrtus.)

Glabra, *foliis imbricatis brevibus semiteretiusculis obtusis*, pedicellis axillaribus solitariis folio brevioribus, calycis lobis rotundatis corolla bis terve brevioribus, *staminibus viginti*, capsula triloculari, loculis oligospermis.

E declivi Brinkley's Bluff montium Macdonnell Ranges Australiæ centralis attulit J. Macd. Stuart.

Ramuli cicatricosi. Folia confertissima, si bene evoluta inter longitudinem 2 et 3 linearum variantia, circiter $\frac{1}{3}'''$ lata. Calycis lobi petaloidei, glabri. Petala alba; lamina orbicularis, $1'''$ metiens, in unguem brevissimum angustata. Filamenta perbrevia, subulata. Antheræ subcordatæ, glandula conspicua e dorso terminatæ, loculis longitrorsum intus dehiscentibus. Stylus $\frac{2}{3}'''$ longus. Stigma depresso-capitatum. Germen depressum. Capsula maturata deest.

Melaleuca Wilsoni.

Fruticosa, ramulis mox glabratis, *foliis sessilibus* oppositis parum patentibus anguste lanceolato-linearibus sensim acutatis glabris supra leniter concavis lævibus, subtus parum convexis punctatis et obscure nervatis, *floribus paucis in axi unius folii sessilibus* rarius in capitulum terminale v. spicam brevem congestis, calycis lobis deltoideo-semilanceolatis petala late ovata glabra semiæquantibus, phalangibus staminum roseis 10–17-andris, *unguibus petala duplo superantibus filamentorum longitudinem excedentibus*, fructibus campanulato-semiovatis subdeltoideo-quinquedentatis, valvis inclusis, *seminibus fertilibus brunneis.*

In deserto plagæ Tattiara country. Rev. Jul. Edm. Woods. In eremo circum lacum Hindmarsh. J. Dallachy.

Frutex spectabilis, altior. Folia conferta, juniora fere imbricata, planiuscula, læte virentia, nitida, subulatim acutata, $\frac{1}{3}$–$\frac{3}{4}''$ longa, inferne $\frac{2}{3}$–$1'''$ lata, basi vix angustata. Bracteæ imbricatæ, membraneæ, dorso et margine parum puberulæ; inferiores acutæ, $1\frac{1}{2}$–$2'''$ longæ, superiores longiores et conspicius acuminatæ. Calycis tubus tenuiter puberulus, lobi $1'''$ longi. Petala fere decoloria, inflexione marginis concava. Unguis linearis, planiusculis, circiter $3'''$ longus. Filamentorum partes liberæ subfasciculatæ, longitudine 1–$2'''$ variæ. Antheræ dorsifixæ, cordato-ovatæ, glandula minuta terminatæ. Stylus filiformis, sæpe semuncialis. Stigma minutum, hemisphæricum. Fructus 2–$2\frac{1}{2}'''$ longi, e latere ramulorum exsurgentes, nec

F. Schönfeld, del & lith. F. Mueller, direxit. De Gruchy & Leigh imp.

Melaleuca Wilsoni. *F.M.*

eum circumdantes. Valvæ 3, vertice tomentellæ. Semina conformia, oblique tetragono-clavata, apice truncata, fertilia fere $\frac{1}{2}'''$ longa, nitentia, sterilia fulva, ex parte abbreviata. Albumen nullum. Embryo rectus.

Speciem M. thymifoliæ pluribus notis congruam signavi nomine clar. Caroli Wilson, cujus imprimis auxiliis detectionem hujus plantæ præpulchræ debemus.

Explicatio analyseos tabulæ quindecimæ.—1, flos completus; 2, bracteæ in situ naturali; 3, eæ seorsim positæ; 4, flos inexpansus; 5, petala; 6, phalanx; 7, antheræ; 8, pollinis granula; 9, stylus; 10, fructus latere inspectus; 11, idem verticaliter sectus; 12, ejusdem sectio horizontalis; 13, valvæ capsulæ; 14, columna placentaris; 15, semina fertilia; 16, semina sterilia; 17, sectio seminis fœcundi transversa; 18, embryo.—Omnes figuræ gradu fortiore lenioreve amplificatæ.

Saxifrageæ.

Quintinia Verdonii.

Foliis lanceolato-obovatis breviter obtuso-acuminatis obscure repandis v. integerrimis supra immerso-punctulatis et vix conspicue venosis, *racemis axillaribus simplicibus*, pedicellis flore paulo longioribus bracteolas lineari-subulatas diu persistentes pluries superantibus, *calycis lobis fere semiellipticis corollam dimidiam pæne æquantibus*, capsula 3–4-valvi.

In nemoribus ad flumen Hastings. Dr. H. Beckler.

Folia glabra, pleraque 3–5″ longa, $1\frac{1}{2}$–2″ lata, chartacea sive tenui-coriacea, in petiolum $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}''$ longum acutata, nervis subtus prominentibus costata, venis reticularibus ibidem prominulis percursa. Racemi bi-quadriunciales, multiflori. Pedunculus sæpius pollicem metiens, ut rachis striatus et indumento subtili furfuraceo-squamuloso paulo resinoso conspersus. Pedicelli circiter $1\frac{1}{2}'''$ longi, cum calyce post exsiccationem flavescentes. Lobi calycis vix ultra $\frac{1}{2}'''$ longi, margine glandulis prominulis quasi denticulati. Petala decidua, ovata, glabra, æstivatione imbricata, sicca flavida. Antheræ filamentis longiores, ovato-cordatæ, obtusæ, luteæ, $\frac{1}{2}'''$ longæ. Pollinis granula minutissima, ellipsoidea, lævia, fissuris longitudinalibus hiantia. Styli 3–4, in unum sulcatum coaliti, glabri, demum e basi fere ad summitatem secedentes, lineam vix superantes. Stigmata obtusa, in singulum lobulatum conglobata. Capsula calycis tubo pæne hemisphærico nitente leniter costulato $\frac{2}{3}'''$ longo semi-inclusa. Valvarum pars emersa addito suo stylo vix ultra $1'''$ longa. Semina in loculis pauca v. plura, subovata, leniter compressa, fere $\frac{1}{3}'''$ longa. Testa membranea, dilute fusca, reticulata. Embryon ulterius observandum.

Hæc species revera nobilis manebit monumentum patrocinii, quo clarissimus Georgius Verdon, vir admodum honorandus, scientias omnes et literas in nostra civitate promovere solebat.

Quintinia Sieberi.

Alph. Cand. Monogr. Campan. p. 92; Cand. Prodr. iv. 5; G. Don, Gen. Syst. Dichlam. Plants, iii. 195; Endl. in Flora, Bot. Zeit. 1832, t. 2.

Foliis lanceolato-obovatis acuminatis obscure repandulis v. integerrimis supra conspicue reticulari-venosis, *racemis in paniculam terminalem collectis*, pedicellis flore brevioribus bracteolas subrotundas acuminatas v. ovatas caducas circiter duplo superantibus, calycis lobis deltoideo-semiovatis corolla aliquoties brevioribus, capsula 4–5 valvi.

In montibus cæruleis. F. Sieber, C. Moore, L. Atkinson, W. Woolls.

Flores iis Q. Verdonii majores. Q. serrata (A. Cunn. in Tayl. Annal. Nat. Hist. ii. 356), species Novo-Zealandica, respectu inflorescentiæ ad Q. Verdonii accedit, proportione autem partium floralium potius ad Q. Sieberi approximat, sed ab ambabus jam foliis angustioribus evidenter repando-dentatis primo visu discriminatur.

Nomen Weinmanniæ paniculatæ in hujus voluminis pagina 83 descriptæ mutandum erit in W. paniculosam propter appellationem homonymam Cavanillesio stirpi Chilensi pridem attributam. Nostra species ad sectionem Akamæ pertinet, a specie autem Novo-Zealandica, nempe Weinmannia rosæfolia (Akama rosæfolia, A. Cunn.) longe distat. Schizomeria ovata, quæ haud immerito a Ceratopetalo separata, fructum ostendit drupaceum 4–5‴ metientem subglobosum glabrum calyce immutato omnino infero suffultum. In fructibus paucis plane maturatis, quæ dissecare licuit, reperi putaminis loculum solummodo alterum semine solitario fœcundum. Pericarpium subfibroso-carnosum, saltem exsiccatione fulvidum notavi; putamen ovato-globosum, aspero-rugosum, osseum, circiter 3‴ longum, modice crassum; semen fere ovatum, $1\frac{1}{2}$–2‴ longum; testam tenuissime crustaceam, lævem, brunneam; endopleuram pertenuem, fulvidam; albumen carnosum, copiosum, embryone paulo longius, rectum; cotyledones foliaceas, ovali-orbiculatas, radicula cylindrica duplo longiores.

Liberalitate Dominæ Ludovicæ Atkinson accepi Schizomeriam in montibus cæruleis collectam; porre specimina a Dre Beckler juxta flumina Hastings & McLeay River congesta.

Ceratopetali gummiferi albumen inveni minus largum, cotyledones compressas, radiculam brevem superam. C. apetali in nostro museo adest non solum status normalis, sed etiam illa ejusdem varietas, quam cl. D. Don sub nomine C. montani in Edinburgh Phil. Journal, Apr. 1830, adumbravit. Hancce varietatem a clar. T. Shepherd prope Illawarra repertam obtinui. Similitudinem florum Anopteri glandulosi et A. Macleayani nuper probavi.

Homalineæ.

Homalium alnifolium.

Thwaites & Mueller.

Foliis coriaceis rotundo-ovatis repando- v. dentato-crenatis glabris subito in petiolum longiusculum subdecurrentibus, spicis axillaribus simplicibus solitariis, bracteolis exterioribus majusculis lanceolatis acuminatis, calycis tubo breviter turbinato, limbi segmentis sæpius senis lanceolato-linearibus petala iisdem conformia superantibus, *filamentis pubescentibus* geminatim ternatimve confertis, stylis quatuor inferne dense pilosis.

In vicinia urbis Rockhampton ad flumen Fitz Roy. A. Thozet.

Arbor alni habitum præ se fert. Lignum adnotante inventore bonum. Ramuli teretes, glabri. Folia pleraque longitudine $2\frac{1}{2}$–5″ variantia, utrinque nitore superfusa, modo obtusata modo breviter acuminata, penninervia, reticulari-venosa, petiolo fere semiterete $\frac{1}{2}$–$\frac{3}{4}$″ longo prædita. Spicæ longius breviusve pedunculatæ, addito pedunculo 2–3″ longæ; rachis breviter pubescens. Bracteolæ diu persistentes, exteriores interioribus saltem duplo longiores, in acumen sæpe acutissimum et sursum pertenue desinentes, circa $1\frac{1}{2}$‴ longæ, ciliatæ. Calycis tubus sub anthesi pæne $\frac{2}{3}$‴ longus, extus dense sericeo-pilosus; segmenta sæpius $1\frac{1}{3}$‴ longa, cum petalis lanceolato-linearibus margine et faciebus breviter pubescentia. Filamenta capillaria, pæne 1‴ longa, apicem versus glabra. Styli linea breviores. Fructus me nondum visi. Nec inflorescentiam nisi statu vetusto analysi subjicere potui.

Species monente amicissimo Thwaites vix cum ulla omnium a Benthamio nuperius clare expositarum confundi possit (Conf. Benth. Notes on Homalium in Proceedings of the Linnean Society, 1860, pp. 31–38). Ab altera specie Australasica, scil. Homalio brachybotryde (Blackwellia brachybotrys, F. M. in Transact. Phil. Inst. Vict. iii. 48) facilius eam distingues.

Præclarus Homalii monographus complures hujus generis icones a Pritzelio in opere suo utilissimo (Icon. Bot. Index, 556) mox ut speramus amplificando citatas præteriit.

Umbelliferæ.

Xanthosia Atkinsoniana.

(Sect. Leucolæna.)

Erecta, *glabra*, foliis caulinis inferioribus radicalibusque in segmenta tria divisis, segmentis lateralibus cuneato-rhombeis incisis, segmento medio late rhombeo trifido, lobis ejusdem antice dentatis, umbellis quinque- rarius quadri- v. tri-radiatis, involucri foliolis linearibus acutis, umbellulis plurifloris, *involucelli foliolis albis petaloideis umbellulam primo parum superantibus demum*

eam vix æquantibus, foliolis lateralibus dimidiato-cordatis, medio ovato-lanceolato, *calycis lobis obtusis albis*, mericarpiis utroque latere quadrijugis.

In montibus cœruleis Novæ Austro-Cambriæ prope amnem Grose stirpem detexerunt L. Atkinson et W. Woolls.

Herba perennis, sæpe cubitalis. Radix pæne cylindracea, divisa, tortuosa. Caulis cum ramis fere dichotomis teres, striatulus. Folia radicalia longe petiolata; caulina petiolo sæpe unciali basi modice ampliato prædita, semper ramulum suffulcientia, ideoque satis ab invicem dissita, sæpe 1″ longa; superiora simpliciter tripartita et minora, summa integerrima, linearia. Bracteæ numero pedunculorum specialium uncialium v. breviorum, longitudine $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}$‴ variantes. Umbellula centralis sessilis, proprio involucello orbata. Involucelli foliola iis Xanthosiæ rotundifoliæ eximie æmula, sed vix ultra 2‴ longa, obtusiuscula. Calycis lobi late ovales, $\frac{1}{2}$‴ longi. Petala alba, ob abruptam perfectamque sui acuminis elongati et obtusati inflexionem tantum $\frac{3}{4}$‴ longa et quasi emarginata, a dorso inspecta formam obcordatam exhibentia, in unguem tenuem angustata. Filamenta corollam æquantia, capillaria, alba. Antheræ versatiles, cordato-ovata, flavidulæ, $\frac{1}{4}$‴ longæ. Stylopodia subovata, conspicua, verticalia, parum puberula. Styli albi, primum apice incurvi, demum fere 1‴ longi, capillares. Fructus breviter pedicellati, calycis lobis coronati, cordato-rotundi, compressi, vix linea longiores.

Glabrities perfecta et minuties involucellorum jam prima fronte hancce novam speciem a X. rotundifolia separant. Ceterum congruentia inter stirpem occidentalem et orientalem præsingularis. Condolleus fortassis sphalmate scriptorio plagam Australiæ orientalem esse X. rotundifoliæ patriam statuit. Equidem hujus specimina e variis Novæ Hollandiæ austro-occidentalis locis accepi, tam foliis elobatis normalibus prædita, quam foliis in modum X. Atkinsonianæ divisis insignia. Venerabilis Hooker discrimina inter ambas species haud agnovit. (Conf. Bot. Mag. 3582.)

Speciei autem orientali attribuo nomen detectricis, quæ nuperius summa cum alacritate vegetationem montium cœruleorum recolligere incepit et harum divitiarum me non minus quam amicum Woollsium participem fecit.

Hydrocotyle grammatocarpa.

Caulibus repentibus gracilibus glabris vel parce pilosis, foliis membranaceis longe petiolatis reniformibus breviter vel brevissime 5–7-lobis glabris, lobis obtusis crenatis, stipulis membranaceis ovato-lanceolatis fimbriatis, umbellis paucifloris, pedicellis *fructu globoso-ovato subtruncato* æquilongis vel longioribus, mericarpiis 3-jugis, *jugis æqualibus obtusis canaliculatis* apteris.

Circum lacunas ad sinum Carpentaria rarissime.

Herba ad pedem longa, flaccida, ramosa. Folia inferiora pollicem lata, superiora gradatim minora breviusque petiolata. Longitudo pedunculorum terminalium axillariumque varia. Petala perminuta, alba vel purpurascentia. Antheræ subglobosæ, pallidæ. Styli brevissimi, albidi, mox stylopodio virenti appressi. Stigmata truncata. Fructus vix conspicue compressi, circiter $\frac{1}{3}'''$ longi, fulvescentes, ad commissuram non contracti, jugis lævibus sese tangentibus.

Hydrocotyle homalocarpa.

(Sect. Dicranophora.)

Annua, glabra, *foliis trisectis, segmentis plurifidis*, laciniis semilanceolato-linearibus acutis, stipulis nullis, umbellis axillaribus plurifloris sessilibus, involucri foliolis paucis brevibus linearisetaceis, *pedicellis fructu compressissimo rotundo fere æquilongis, stylis brevissimis, carpophoro furcato persistente*, mericarpii jugis commissuralibus dorsalique tenuibus lateralibus nullis.

Prope Pinjarra, ad flumen Murray Novæ Hollandiæ austro-occidentalis, ubi Hydrocotylæ piliferæ consociata.

Herbula sesquipollicem usque digitum alta. Folia semuncialia v. minora, ambitu deltoidea v. rhomboidea. Petala viridi-rubella et stamina minuta. Mericarpia dimidiato-orbicularia, igitur fructum biscutatum non formantia, nec turgentia, $\frac{2}{3}'''$ longa.

Holotome omnifertilis.

Caulibus ramisque appresso-pilosulis, foliis subglabris, radicalibus fere rhombeis in petiolum longum angustatis, caulinis inferioribus rhombeo-cuneatis cum radicalibus antice grosse acuteque dentatis, caulinis superioribus angusto-lanceolatis apice paucidentatis, summis lato- v. subulato-linearibus acutis integerrimis, pedunculis prætenuibus imperfecte sericeis, *involucri foliolis parvis* 6–9 *glabriusculis umbellulam* 5–16-*floram omnino fertilem paulo superantibus*, floribus omnibus conformibus brevissime pedicellatis, calycis tubo anguste obconico subsericeo, petalorum lamina rhombeo-rotunda, stylis glabris, fructibus cuneato-obovatis parce sericeis apice truncatis.

In locis humidis ad flumen Hay River Novæ Hollandiæ austro-occidentalis. Maxw.

Herba pulchella, annua, gracilis, erecta, digitum ad pedem alta, Brachycomes speciem fructiferam referens. Radix filiformis, flexuosa, simplex v. divisa. Caules graciles, pæne dichotome ramosi. Petioli foliorum radicalium unciales v. breviores, nonnunquam paulo longiores; lamina sæpius semunciam metiens. Folia concoloria; caulina dissita, radicalibus angustiora, inferiora in petiolum gradatim contracta, summa haud in laminam conspicuam dilatata. Capitula pisi magnitudine, solitaria, pedunculos pæne

capillares unciales vel breviores terminantia. Involucri foliola utplurimum $1\frac{1}{2}'''$ longa, pilis paucis appressis basin versus vestita. Calycis limbus glaber, albus, integerrimus. Petala alba, addito ungue $\frac{1}{3}'''$ longa, glabra, scilicet staminibus alterna. Filamenta corolla breviora vel eam subæquantia, alba, subulata. Antheræ fuscæ, didymæ, $\frac{1}{8}'''$ longæ, loculis ellipsoideis. Styli subulati, conniventes, albi, $\frac{1}{2}'''$ longi, basin versus conspicue incrassati, glabri. Fructus pedicello vix $\frac{1}{2}'''$ longo glabriusculo prædíti, $1'''$ longi, leniter compressi, argenteo-subsericei.

Holotome propriam generis distinctionem certissime meret, juxta notas jam Endlichero optime divulvatas (Gen. Plant. 4379) a Lindleyo admissas (Veg. Kingdom, ed. iii. 778) etsi a Bungeo rejectas (Lehm. Pl. Preiss. i. 292). Altera species, scil. H. leucocephala (Actinotus leucocephalus, Benth. in Hueg. Enum. p. 56, Bunge l. c., Hook. Icon. 847) Actinotum Helianthi simulat; altera autem hic promulgata Actinotum minorem non parum imitat. Distinctiones vero sectionales, vocibus Panteuphora et Hemisteira exprimendæ, præprimis e diversitate vel æqualitate florum cujusvis capituli derivatæ inter ambas Holotomes species trahi queant. Hemiphues arcto nexu tum Holotomæ tum Actinoto concatenatur, imprimis propter fructum simplicem saltemve normaliter monospermum. Sua præsentia petalorum ad illam, formatione loborum calycis ad hunc approprinquat, statura attamen ab utroque genere discrepat.

Loranthaceæ.

Nuytsia ligustrina.

A. Cunn. in Lindl. Veg. Kingd. ed. iii. 791; F. M. Essay on Plants from the estuary of the Burdekin River, p. 13.

Foliis oppositis oblongo-lanceolatis tenui-coriaceis uninerviis penniveniis subtus pallidioribus, racemis axillaribus solitariis corymbiformibus folio brevioribus, pedicellis calyce florifero brevioribus, *floribus solitariis tribracteolatis*, corolla parva rubro-aurantiaca 6–7-petala.

In montibus cœruleis. A. Cunningham, L. Atkinson, W. Woolls. Specimina nostra prope Tomah in locis arenoso-rupestribus collecta.

Frutex humo enascens, 4–5′. Ramuli superne leniter angulati, inferne teretes, epiphlæo fusco scarioso in frustulis minutis secedente primum tecti. Folia læte viridia, $1–1\frac{1}{2}''$ longa, $2\frac{1}{2}–5'''$ lata, sensim in petiolum brevem angustata, apicem versus gradatim angustiora, summitate obtusa, nervo mediano subtus prominente prædita. Racemi breviter v. brevissime pedunculati, pluriflori. Bracteolæ cymbiformi-lanceolatæ, virentes, $1\frac{1}{3}–2'''$ longæ, acutæ. Calyx florifer $1'''$ longus, intra bracteolas sessilis; limbus breviter acuteque sinuato-dentatus. Petala libera, $3'''$ longa, linearia, utrinque acutata, infra medium stamen emittentia. Stamina corolla parum

breviora. Antheræ luteæ, $\frac{2}{3}'''$ longæ, oblongatæ, apice acutiusculæ, basi obtusæ, demum versatiles. Stylus subulatus, leniter flexuosus, vix 2‴ longior. Stigma minutum. Fructus deest, sed quantum e calyce non insigniter angulato judicandum, forsan figuram paradoxam trialatam, qua Nuytsia floribunda insignita est, non exhibebit.

Quasdam Loranthi species humo enatas rupibusve affixas occurrere, adnotandum restat. Nuytsia igitur vix cresdendi modo, sed solum fructus forma et siccitate a genuinis Loranthis divelli potest.

Rhamnaceæ.

Pomaderris elachophylla.

F. M. Sixth Systematic Index of the Plants of Victoria, p. 17.

Fruticosa, ramulis stellari-tomentellis tenuibus, *foliis minutis lato- v. obcordato- v. orbiculari-obovatis* obtusis v. leniter emarginatis planis subherbaceis supra glabris subtus incano-velutinellis et parce astrotricheis, pedicellis axillaribus terminalibusque solitariis geminis ternis vel in pedunculo brevi cymulam pauciflorum formantibus exinvolucratis flori subæquilongis racemum foliatum constituentibus, filamentis lobos calycis extus tomentellos subæquantibus, *petalis nullis*, stylis brevissimis puberulis, germine velutino.

Ad rivum Tyers fluvio La Trobe River tributarium.

Frutex altior, passim ultra-orgyalis. Rami teretes, uberrime patentimque ramulosi. Folia patentia, breviter petiolata, $1\frac{1}{2}$–3 rarius 4‴ longa, supra passim parcissime pilosula. Pedicelli tenues. Calycis lobi flavescentes, vix lineam longi, ovato-semilanceolati. Fructus, dum plantam detegebam, non maturati erant.

Compositæ.

Ozothamnus pholidotus.

F. M. Sixth Systematic Index of the Plants of Victoria, p. 17; Cassinia pholidota, F. M. coll.

Glaber, *ramis dense squamato-foliatis* parum patentibus, *foliis minutis erectis appressis* resinoso-punctulatis subvernicoso-nitidulis oblongo-lanceolatis obtusiusculis supra leniter concavis margine planis, paniculis corymbiformibus, involucri squamis e flavido albescentibus.

In deserto circum lacum Hindmarsh. J. Dallachy.

Frutex pluripedalis, ramulis numerosis quasi cupressineis sive tamariscineis. Folia diu persistentia, semper appressa, ramulos omnino occultantia, 1–2‴ longa. Inflorescentiam tantum statu inexplicato vidi, quare plantæ systematicam positionem non nisi habitu definire potui.

Species foliis squameis Ozothamno selaginoidi, O. Hookeri, O. lycopodioidi, O. scutellifolio, O. microphyllo et O.lepidophyllo finitima, si revera huic generi adscribenda.

Rubiaceæ.

Hodgkinsonia.

Calyx inferus, tubo ovato mox turgente, limbo minute quinquedentato. *Corolla globoso- v. campanulato-ovata, gamopetala, breviter 5- rarius 4-dentata*, dentibus per æstivationem valvatim cohærentibus. Stamina 5 rarius 4, corollæ lobis alterna, ante ejusdem basin inserta. Filamenta brevissima. Antheræ oblongo-lineares, acutiusculæ, introrsæ, biloculares, loculis longitudinaliter dehiscentibus. Stylus perbrevis. Stigmata 3–4, rarius 2, subulata. Germen 3–4- rarius 2-loculare, gemmulis e loculorum apice solitarie pendentibus. *Drupa* 3–4- *rarius 2-locularis, loculis monospermis.* Pericarpium tenue. Putamen osseum. Semina subcylindracea. Embryo in axi albuminis parci rectus, eidem longitudine subæqualis. Cotyledones breves, compressæ, semioblongatæ. Radicula elongata, cylindracea, supera.

Arbor Australiæ orientalis juxta-tropicæ, foliis oppositis lanceolato-obovatis chartaceis, stipulis interpetiolaribus cito caducis, *umbellis axillaribus* gracile pedunculatis simplicibus v. compositis, corollis albis intus undique barbatis, drupis subovatis.

Genus e Guettardearum tribu eximium nominavi in honorem amici Clementis Hodgkinson, qui regiones hancce arborem proferentes per plures annos perlustravit et de earum rationibus geographicis rebusque physicis in opere suo (Australia from Port Macquarie to Moreton Bay) luculenter disseruit.

Hodgkinsonia ovatiflora.

In locis silvaticis ad flumen Brisbane; Hill & Mueller. In nemoribus ad flumen Hastings; Beckler.

Arbor variæ altitudinis, passim excelsa. Ramuli juniores imperfecte pilosuli. Folia fere glabra et concoloria, in petiolum breviusculum puberulum angustata, plana, $1\frac{1}{2}$–3″ longa, sæpius $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{4}$‴ lata, apice subacuminata, utrinque nitidula, subtiliter penninervia et venosa. Stipulæ e basi deltoidea subulatæ, appresso-pilosulæ. Pedunculi $\frac{1}{2}$–$1\frac{1}{2}$″ longi. Pedicelli tenues, 1–6‴ longi. Corolla extus glabra, intus pilis brevibus albis crispis vestita, tam in basin quam in apicem contracta, $1\frac{1}{2}$–2‴ longa, mox decidua. Antheræ flavæ, $\frac{2}{3}$‴ longæ. Stigmata vix 1‴ longa, stylo crasso glabro longiora. Fructus 3–5‴ longi, obliquo- v. clavato-ovati, glabri. Semina vix $\frac{1}{2}$‴ lata. Cotyledones $\frac{2}{3}$‴ longæ.

Ixora Thozetiana.

Glabrum, foliis breviter petiolatis longo- v. ovato-lanceolatis tenui-coriaceis planis in apicem sensim contractis supra nitentibus subtus pallidioribus in axillis nervorum subtus barbellatis, *cymis*

axillaribus conferte multifloris breviter pedunculatis, *corolla profunde quadripartita* ante basin barbata, filamentis brevissimis, antheris oblongo-linearibus, stigmate primum lineari-ellipsoideo basi attenuato, baccis obovatis rubris.

Prope Rockhampton, A. Thozet; juxta portum Denison, E. Fitzalan.

Frutex procerus, ad magnitudinem arboris 25-pedalis excrescens. Ramuli indistincte tetragoni. Stipulæ vix 2‴ longæ, e basi latiore sensim acutatæ. Folia plana, exsiccatione nigrescentia, 2–6″ longa, 1–2″ lata, adscendenti-penninervia, tenuissime venosa. Inflorescentia foliis multo brevior. Bracteæ breves, deltoideæ. Flores in nostra collectione servati vix perfecte evoluti. Calyx ovato-obconicus, fere $1\frac{1}{2}$‴ longus, brevissime deltoideo-dentatus. Corolla 2–3‴ longa, exsiccatione nigricans; tubus perbrevis; lobi æstivatione imbricati, semielliptici. Antheræ flavæ, circiter $1\frac{1}{3}$‴ longæ. Stylus in flore inaperto brevissimus, stigmatibus cohærentibus quidem, sed facile separabilibus. Bacca 3–4‴ longa, bilocularis. Endocarpium adnatum. Semina statu perfecto nondum observata, sed in loculis solitaria, umbilico ventrali.

Speciem dicavi amico Anthelmo Thozet, qui stirpes Australiæ præsertim orientalis tropicæ assidue observavit et earum pulchras collectiones in hoc opere divulgandas mihi largitus est. Ixoram coccineam inter stirpes Indico-Australasicas enumeravit ill. Jos. Hooker.

Canthium lamprophyllum.

Ramulis foliisque glabris, his majusculis conspicue petiolatis coriaceis lanceolato-ovatis planis sensim in apicem obtusatum contractis penninerviis conspicue venosis supra splendentibus, *cymis axillaribus multifloris*, pedunculis angulatis, pedicellis brevibus crassiusculis, corolla alba mediotenus quadrifida lobis semiovatis, fauce barbata, filamentis brevissimis, antheris subovalibus, *stylo longe exserto, stigmate brevissime bilobo basi truncato*, baccis leviter compressis pæne didymis.

Prope Rockhampton; Thozet. Ad portus Molle et Denison; Fitzalan. Ad sinum Wide Bay; C. Moore. Prope flumina Brisbane et Pine River; Hill & Mueller. Inter flumina Dawson et Burnett in silvis Araucariarum, F. M.

Frutex elatus, spectabilis, passim arborescens. Ramuli satis angulati. Folia 2–5″ longa, rarius ad unciæ longitudinem reducta, margine sæpius leviter undulata, paulo in petiolum decurrentia, subtus pallidiora et nitore privata, supra saturate viridia. Stipulæ paucilineares, e basi triangulari in acumen contractæ, deciduæ. Pedunculi et pedicelli tenuissime puberuli; illorum primarius 1–2″ longus, validus; secundarii et reliqui varie breviores. Calyx corollifer vix 1‴ longus, minutim denticulatus. Corolla 2‴ longa, subcampanulata, lobis æstivatione valvatis. Antheræ linea parum

breviores. Stylus tenui-subulatus, fere 4‴ longus. Stigma vix ultra $\frac{1}{2}$‴ longum. Bacca sæpe abortu alterius loculi dimidiata, leviter compressa, 2–3‴ longa. Semina leniter arcuata. Embryo in axi albuminis satis copiosi situs.

Canthium oleifolium foliis concoloribus angustioribus dilute virentibus minus patentim venosis statim a C. nitente cognoscitur. Alia hujus specimina in nostro museo exstant ad flumen Victoriæ terræ Arnhem's Land, alia inter flumina Gilbert et Burnett reperta. Exemplaria imperfecta latifolia forsan ad hanc speciem pertinentia vidi partim ex Australia centrali allata a cl. J. McDonall Stuart, et partim prope flumen Gascoyne a clar. F. Gregory collecta.

Canthium microphyllum.

Ramulis puberulis inermibus, *foliis parvis chartaceis glabris obovatis* obtusis planis, pedunculis brevibus axillaribus 1–3-floris pedicellisque prætenuibus, corolla vix mediotenus quadrifida, fauce barbata lobis acutis, filamentis anthera lineari-oblongata longioribus, stylo corollæ longitudinem vix æquante, stigmate bifido basi obtusato, baccis subglobosis.

In Nova Hollandia orientali subtropica, e. g. ad flumen Brisbane, Hill & Mueller; prope Rockhampton, Thozet.

Frutex altus. Ramuli alterni, patentes, teretes, numerosi. Folia 3–6‴ longa, breviter v. brevissime petiolata, supra nitentia, subtus opaca. Stipulæ perbreves, apiculatæ v. acuminatæ. Pedicelli calycem corolliferum minutim et acute quadridentatum subæquantes. Corolla 3–4‴ longa, albida, lobis anguste semilanceolatis acutis æstivatione valvatis. Antheræ $\frac{2}{3}$‴ longæ. Stylus $\frac{1}{3}$‴ longus, lobis divergentibus. Bacca 2–3‴ longa.

C. vaccinifolio, quod nonnunquam foliis margine insigniter recurvatis obvenit, approximandum.

Guettarda polyphragmoides.

Arborea, ramis villoso-pubescentibus, foliis oppositis ternisve ovato- v. angusto-lanceolatis chartaceis in basin et apicem sensim angustatis sparse villosulis, cymis axillaribus di- v. tetracladis pluri-floris subsericeo-pubescentibus, *corollæ* limbo 5–6-lobo, *lobis oblongatis supra crasso-carinatis* tubo subæquilongis quocum extus sericeis et intus glabris, antheris 5–6 linearibus, *stigmate bilobo.*

Ad flumina Victoriæ, Fitzmaurice, Roper et Wentworth River, præsertim in locis paludosis Pandano repletis.

Arbor minor v. mediocris. Stipulæ lato-lineares, longe sursum acutatæ, pollicem et ultra longæ, extus sericeo-pilosæ, intus glabræ, cito deciduæ. Folia 3–5″ longa, 1–1$\frac{1}{2}$″ lata, in petiolum circiter semuncialem contracta, dilute virentia, subtus parum pallidiora. Cymæ pedunculo primario sæpe unciam metiente subcompresso sustentæ. Flores præter alarem secus cymæ ramos congenerum

instar unilateraliter distributi, sessiles. Bracteolæ lineari-subulatæ, vix ultra lineam longæ, caducæ. Calyx ovato-cylindraceus, circiter 3‴ longus, apice fissus. Corollæ albæ lobi 2–2½‴ longi. Filamenta parti corollæ basali adnata, brevi spatio libera. Antheræ 1⅓‴ longæ, flavæ, introrsæ, biloculares, loculis longitudinaliter dehiscentibus. Stylus brevis, glaber, filiformis. Fructus ignoti.

Mira est similitudo hujus plantæ cum Polyphragmo sericeo, quod prope Rockhampton collegit clar. Thozet et in variis terræ Arnhemicæ locis, me ipso observante, obvenit. Species Australasica cum Timorensi (fide iconum in Mémoires du Muséum vi. t. 2 bis) exacte concurrit.

Psychotria nesophila.

Foliis chartaceis ovatis obtusis glabris longiuscule petiolatis, stipulis triangulari-ovatis caducis, cymæ ramis subcompressis bifariam velutinis, *calyce hemisphærico truncato*, corollæ lobis tubo æquilongis, fauce dense barbata, staminibus inclusis, filamentis perbrevibus, *fructibus læte rubris* subglobosis leniter costatis.

In insula Albany Island, apud promontorium Cape York.

Folia 1–2″ longa, suprema adeo conferta, ut quaternatim verticillata appareant. Sipulæ scariosæ, sæpe 1½‴ longæ. Pedunculi primarii vix unciales, secundarii paucilineares. Pedicelli breves v. brevissimi. Calyx vix 1‴ altus. Corolla pæne 4‴ longa, lobis semilanceolatis. Antheræ ¾‴ longæ. Stylus sesquilinearis, stigmatibus subovatis. Fructus magnitudine pisi, siccus, dipyrenus, dispermus.

P. daphnoidem habeo e variis Australiæ orientalis locis, ubi formis aliis semiglabris pubescentibus et tomentosis, aliis grandifoliis et parvifoliis ludet. Eandem prope Parramattam reperit Woolls; ad flumina Hastings, Clarence et Richmond, Beckler; prope Moreton Bay, Hill & Mueller; juxta Rockhampton, Thozet.

Compositæ.

Eclipta platyglossa.

F. M. Plants Indigenous to the Colony of Victoria, pl. xxxix; E. erecta, Sond. in Linnæa, xxv. 482.

Procumbens v. adscendens, strigulosa, foliis angusto-lanceolatis v. lato-linearibus acutis, pedunculis capitulo aliquoties v. multoties longioribus, involucri squamis exterioribus angusto-lanceolatis, *ligularum lamina flava ovato-cuneata* demum bi- v. tridentata, acheniis omnibus anguste angulato-clavatis verruculosis haud distincte compressis.

Per amplos Novæ Hollandiæ extratropicæ tractus; sic ad flumina Yarra Yarra, Avoca, Murray, Darling, ad sinus litorales St. Vincent's Gulf et Moreton Bay, alibique.

Folia fere semper angustiora præter notas supra traditas nostram stirpem ab E. erecta Indica et Tropico-Australiana distinguunt.

Vaccinieæ.

Wittsteinia.

Calycis tubus cum germine connatus; laciniæ 5, fere æquales, sub anthesi tubo longiores. Corolla supera, cylindraceo-companulata, gamopetala, 5-dentata, decidua, dentibus æstivatione subvalvatis. *Stamina quinque*, dentibus corollæ alterna. Filamenta subulata, basi corollæ tantummodo adnata, quacum decidua. *Antheræ* didymo-rotundæ, introrsæ, biloculares, *exappendiculatæ, loculis longitrorsum dehiscentibus.* Pollinis granula globosa, disjuncta, triporosa. Stylus filiformis, inclusus. Stigma depresso-capitatum, lenissime trilobatum. Germen inferum, triloculare. Gemmulæ secus angulum loculorum centralem paucæ, biseriatæ. Fructus ignotus.

Suffrutex alpium Australiæ multicaulis, adscendens, inferne radicans, foliis alternis sparsisve exstipulatis subovatis serrato-dentatis, pedunculis axillaribus solitariis v. geminis unifloris paucibracteatis, corollis flavo-virentibus passim rubicundis intus basin versus parce pilosulis, staminibus parum ultra corollæ tubum emergentibus. Huic generi (unico Australasico e Vaccinearum tribu), transitum ad Ericeas demonstranti, antherarum forma et structura Diplarchæ accedenti, staminum autem numero inter Vaccinieas Sphyrospermo comparabili adscripsi nomen præclari et meritissimi G. C. Wittstein, Ph. Dris., qui de præparatis chemicis pharmaceutarum nec non de generum ordinumque plantarum etymologica derivatione opera egregia obtulit (conf. Etymologisch-botanisches Handwœrterbuch, Erlangen, 1856; Darstellung und Pruefung chemischer Præparate, Muenchen, 1851), nuperius quoque medicamina vegetationis Australiæ analysi subjecit.

Wittsteinia vacciniacea.

F. M. Sixth Systematic Index of the Plants of the Colony of Victoria, p. 17.

In fissuris rupium irriguarum, ad fontes et scaturigines, nec non in cacuminibus saxosis montium alpinorum Baw Baw Mountains, rarius in tractu alpestri Albert Range et ad originem fluvii Yarra Yarra, altitudine 3500–5000′ supra mare.

Stirps latitudine spithamæ usque ulnæ vage expansa. Caules varie torti et flexuosi, tenuiter pubescentes, inferne defoliati, basi fibris copiosis ramosis radicantes. Petioli breves, puberuli, in axi ferrugineo-barbellati. Folia crasso-coriacea, glabra, ovata v. lanceolato-ovata, uninervia, venulis subtus non conspicuis pinnatim et reticulatim percursa, sæpe inter 1 et $1\frac{1}{2}''$ longa, raro $\frac{1}{2}$ vel 2″ metientia, subtus glauca sive pallida, utrinque tamen nitentia, inferne subcuneata et integerrima, abhinc remotiuscule subcalloso-dentata, apice acutiuscula. Pedunculi sesqui- ad pauci-lineares. Bracteæ ovatæ et lineari-lanceolatæ, $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{2}''$ longæ; duæ superiores sæpe oppositæ; ceteræ utplurimum alternatim dissitæ. Flores

fragrantes. Calyx pallide virens, cum pedunculo articulatus; lobi recurvo-patentissimi, semilanceolati, 1–1½‴ longi, diu persistentes, utrinque glabri, margine subtiliter ciliati. Corolla 3–4‴ longa, extus glabra v. parcissime pilosula, cum genitaliis dilute flavo-virens, nisi partim colore rubello superfusa; dentes valde patentes, circiter 1‴ longi, deltoideo-semilanceolati, margine sub æstivatione perparum introflexi. Filamenta glabra. Antheræ ½‴ longæ. Pollen albidum. Stylus filamentis paulo crassior, vix 3‴ longus, glaber. Stigma diametrum styli parum excedens. Discus annularis perangustus. Fructus posthac investigandus.

Loganiaceæ.

Fagræa Thwaitesii.

Ramulis cylindraceis, petiolis semiteretibus vix canaliculatis, vagina stipulari truncata abbreviata, foliis chartaceis ovatis basi obtusissimis passim subcordatis apice breviuscule acuminatis dissite penninerviis indistincte venosis ad marginem denique angustissime revolutis, racemo composito, calycis profunde quinquefidi lobis rotundatis, *germine perfecte triloculato* ovato brevissime stipitato in apicem cylindraceum attenuato.

In vallibus silvaticis irriguis juxta collem Providence Hill terræ Arnhemensis.

Frutex excelsior, glaber. Folia 3–6″ longa, 2–3″ lata, subtus pallidiora et opaca. Petioli semunciales v. paulo longiores. Pedicelli crassi, breves; inferiores in racemo ternati, pedunculo secundario brevissimo conjuncti; superiores passim solitarii. Bracteolæ ad basin pedicellorum sitæ, semiovato-deltoideæ, parum acutatæ, vix lineam longæ, bracteis conformibus paulo minores. Calycis lobi imbricati, sub anthesi fere 1‴ longi, subtilissime vel indistincte ciliolati. Corolla nondum visa. Germina mox post anthesin vix semunciam superantia, semper rite triloculata (quantum e specimine nostræ collectionis prodit), etsi passim lobo altero placentarum suppresso. Semina numerosa, jam statu immaturo nigrita.

Species approximanda videtur F. racemosæ (Jack sec. Benth. in Proceedings of the Linn. Soc. i. 99, quæ eadem ac F. morindifolia, Blume in Rumphia, tab. 73 et 79, et F. volubilis, Wallich in Roxb. Flor. Ind. ii. 36, Miq. Flor. Ind. Batav. ii. 367).

Planta in genere propter germen triloculare satis paradoxa dubiis vexata remanebit, donec flores sicut fructus evolutos cognoscemus; interea stirpem ad Fagræas trahit carissimus Thwaites.

Scrophularineæ.

Veronica densifolia.

Pæderota densifolia, F. M. in Transact. Phil. Soc. Vict. i. 107.

Caulibus cæspitoso-procumbentibus, *foliis crassis integerrimis cymbiformi-ovatis ciliatis dense quadrifariam imbricatis sessilibus,*

floribus bibracteatis axillaribus et terminalibus solitariis sessilibus, *corolla calycem quinquepartitum duplo superante* glabra albo-rosea, tubo intus nudo, capsula obcordata calyce superata, seminibus dorso valde convexis.

In summis culminibus saxosis montium alpinorum Munyang Mountains rara.

Herba perennis, pluripollicaris, ramosa, radicans. Folia circiter 2‴ longa, dorso carinato-acuta, margine leniter inflexa. Bracteæ duæ ad calycis basin cymbiformi-oblongæ, sæpius ecostatæ, calyce plerumque dimidio breviores, foliis angustiores et tenuiores. Calyx ultra medium 5-fidus, parce glanduloso-puberulus ; laciniis lanceolato-ovatis, obtusis, circiter $1\frac{1}{2}$‴ longis. Corolla 4–6‴ longa, quoad divisionem et laciniarum formam valde viriabilis. Normalis autem videtur 5-partita, laciniis obtusis ovatis in basin angustatis. Occurrunt tamen non raro laciniæ orbiculatæ et oblongæ vario numero, immo decem, quinta sextave sæpius in Calorhabdos modum diminuta. Filamenta corollæ tubo adnata, apice libera, filiformia. Antheræ loculi divergentes. Stylus glaber, angulato-capillaris, 2–3‴ longus. Stigma dilatatum, leniter convexum. Capsula calyce brevior, sesquilineam longa, turgidula, rugulosa, glabra, bilocularis (raro in monstrositate quadrilocularis), ad emarginaturam puberula. Semina in loculis numerosa, oblique ovata, sublævia, dilute fulva, $\frac{1}{3}$‴ longa.

Stirps forsan novi subgeneris typus. Inter congeneres sane multis notis copulatur V. tetragonæ (Hook. Icon. t. 580 ; Benth. in Cand. Prodr. x. 462 ; J. Hook. Flor. of New Zeal. i. 194), recedit attamen jam calycis divisione quinario. A Calorhabdo differt staminum brevitate, antheræ loculis divergentibus, stigmate distincto et foliis oppositis ; ab Aragoa, cui magis habitu convenit staminibus duobus et seminibus numerosis exalatis ; ab Ourisia itidem numero staminum et capsulæ structura; denique ab hisce omnibus calyce bibracteato.

Solanaceæ.

Anthocercis Hopwoodii.

(Sect. Cyphanthera.)

Glabra, inermis, *foliis elongato-linearibus* acutis decurvo-mucronulatis planis demum margine imperfecte revolutis, cymis axillaribus et terminalibus, calycis parvi dentibus pæne deltoideis tubo brevioribus, *corollæ lobis semiovatis et rotundatis* tubo brevioribus, antheris uniloculatis, filamento rudimentorio brevissimo anthera orbato.

Prope flumen Darling legit raram hancce plantam in expeditione Victoriana amicus H. Beckler, M.D.

Frutex arborescens. Cortex interpretante collectore rugosus, cinerascens. Folia crassiuscula, longitudine 2–5″ variantia, tantum 1–$1\frac{1}{2}$″ lata, in basin et apicem gradatim angustata. Cymulæ pani-

culam terminalem foliatam struentes. Bracteolæ semilanceolato-cymbiformes, $\frac{2}{3}$–$1\frac{1}{3}'''$ longæ. Calyx vix linea longior. Corolla plerumque $\frac{1}{2}''$ longa, in specimine sicco ochroleuca, striata. Antheræ reniformes. Stylus inclusus. Capsula nondum reperta.

Species propter foliorum angustiam simulat A. angustifoliam (F. M. in Transact. Phil. Vict. i. 21), forma autem corollæ longe discrepat et potius tendit ad A. Eadesii (F. M. Fourth System. Index of the Plants of Vict. p. 11, Eadesia anthocercidea, F. M. in Transact. Phil. Inst. Vict. ii. 71).

Speciem appellavi in honorem præclari H. Hopwood, Echucensis, fautoris liberalissimi expeditionis Victorianæ.

De identitate quarumdam Anthocercidis specierum cum Cyphantheris in opere eximio Miersii (Illustrations of South American Plants, vol. ii. Append. pp. 28–34, pl. 84–85) digestis et illustratis alio loco disseram.

Asperifoliæ.

Echinospermum concavum.

Annuum, hispidulo-pubescens, foliis ovato- v. elliptico- v. linearioblongatis obtusiusculis, racemis foliaceo-brateatis, pedicellis ætate erecto-patentibus passim cernuis calyce fructifero longioribus, calycis lobis ovato-lanceolatis corolla parum brevioribus, *carpidiorum margine aculeis sæpius* 9–11 *uniseriatis maxima ex parte validis armato, dorso concavo* et medium versus minutim granulato.

In planitiebus collibusque apricis præsertim calcariis prope flumina Darling, Murray, Wimmera, Torrens, Gawler, Light, Broughton et Crystal Brook.

Herba sæpe spithamæa, nonnunquam perhumilis, adscendens v. erecta. Radix simplex, filiformis, descendens, $1\frac{1}{2}$-pluripollicaris. Folia pleraque $\frac{1}{2}$–$1''$ longa. Pedicelli floriferi præbreves, fructiferi paucas lineas longi. Calycis segmenta circiter $1'''$ longa. Corolla cærulea, glabra, pæne $1\frac{1}{2}'''$ longa; lobi obtusi, subovati. Fornices minutæ. Stylus brevissimus, glaber. Stigma depressum, lenissime emarginatum. Carpida ventre asperula v. lævigata et satis convexa, margine extrorsum vergente cincta, aculeis compresso-subulatis apice retro-aculeolatis exceptione superiorum abbreviatorum pæne $1'''$ longis pungentia.

Species distinctu facilis propter aculeorum validitatem et paucitatem.

Verbenaceæ.

Eremophila Bowmani.

Tomento ramoso subvelutina, foliis alternis anguste lanceolatis integerrimis margine paulo revolutis, pedicellis divergentibus calycem subæquantibus, *calycis quinquepartiti laciniis lanceolatis tomentellis corollam cæruleam extus pæne glabram fere semiæquantibus*, corollæ fauce barbata, lobis obtusis parum inæqualibus.

In eremo ad flumen Nommoy. Edw. Bowman.

Folia sæpe uncialia. Pedicelli solitarii v. gemini, sæpe $\frac{1}{2}''$ longi. Calycis segmenta præfloratione pæne valvata. Corolla speciosa, pollicis longitudinem paulo excedens, e basi cylindracea subito turgens; lobi tantummodo 2–3‴ longi. Fructus adhuc ignoti.

Species decorosa, tam ad E. eriocalycem, quam ad E. Macdonnellii et E. Goodwinii vergens.

Amarantaceæ.

Lachnostachys Walcottii.

Walcottia eriobotrya, F. M. Fragm. Phytogr. Austr. i. 241.

Ramis foliisque tenuiter cinereo-tomentellis, *foliis lato-linearibus margine revolutis*, racemis speciformibus ample paniculatis, *calycis* 8–10-*fidi laciniis lineari-subulatis*, filamentis decem exsertis mediotenus connatis, antheris glandula dorsali auctis, germine breviter appresso-pubescente.

Ad flumen Murchison. Walcott et Oldfield.

Species præinsignis, cum L. ferruginea et L. albicante (Hook. Icon. Plant. 414 et 415; Moq. in Cand. Prodr. xiii. 298) nullo modo commutanda.

Salsalaceæ.

Kentropsis eriacantha.

Humilis, foliis confertis semitereti-linearibus acutis dense canosericeis, *spinis duabus fructu paulo longioribus quocum villoso-lanosis.*

In deserto subsalino flumen Darling versus legit Dr. H. Beckler, expeditionis Victorianæ phytologus.

Fruticus, secundum specimen exstans, spithamæus. Folia evoluta $\frac{1}{2}$–1″ longa, circiter $\frac{2}{3}'''$ lata. Spinæ fructus circa 2‴ longæ, summa apice glabræ, abhinc ut calycis tubus indumento longo albo molli velatæ.

Fasciculus XV. editus Febr. 1861.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

XVI.

NYMPHÆACEÆ.

Nymphæa gigantea.

Hook. Bot. Mag. 4647 ; Houtte Flor. des Serres 751 ; Lemaire Jardin Fleur. 240 et 244.

Foliis glabris cordato-orbicularibus *argute serratis*, reti nervorum subtus valde prominente, apice petioli intramarginali, petalis decem usque numerosis obtusiusculis, filamentis exterioribus lineari-filiformibus, interioribus setaceis, antheris lineari-trigonis perbreviter acuminatis, polline lævi, toro rubro, stigmatis radiis divergentibus mediotenus connatis, ejusdem papilla centrali conica, capsula subglobosa superne exsulca, *seminibus in loculo pluribus globosis scabridis arillo laxo omnino involutis.*

In lacubus, paludibus stagnisque fere totius Australiæ intratropicæ ; prope litora orientalia usque ad gradum 30 latitudinis australis extendens.

Species variat insigniter magnitudine florum foliorumque, margine horum plus minusve adscendente, dentorum longitudine nec non colore petalorum cyaneo, cæruleo, purpurascente, dilute v. saturate roseo et candido. Capsula subglobosa, pæne sesquiuncialis, præter basin exsulca, nitens, atro-rubra, vertice concava, succulenta, 12–15-locularis. Semina dissepimentis albidis flexuosis affixa, globosa, 1–1½‴ metientia, fusco-virentia, arillo laxo serrato albido crispo inclusa. Testa subtilissime reticulata et papillis minutis scabra.

Distinctiones levioris apparent momenti, quibus N. gigantea a N. Loto segregari possit, nisi e fructu suppeditant. Sepala stirpis Australiæ minus grosse costata sunt et filamentorum forma videtur alia, ac in Loto veterum. Nymphææ in terris tropicis vulgo rariores dicuntur ; sunt autem per zonam calidiorem Asiæ, Africæ et Australiæ neutiquam raræ, sed gregarie distributæ, etsi numero specierum valde limitatæ.

Nymphæa stellata.

Willd. Spec. Plant. ii. 1153 (1799); N. cærulea, Savigny Decad. Ægypt. iii. 74.

Foliis glabris cordato-orbicularibus *repandis v. integerrimis*, reti nervorum subtus modice prominente, petioli apice intramarginali, sepalis immerso-nervosis, petalis numerosis acutiusculis extimis hemicalycinis, filamentis exterioribus linearibus dilatatis, antheris breviter incurvo-acuminatis, polline lævi, toro albido, stigmatis radiis alte connatis divergentibus, papilla ejusdem centrali late conica, capsula fere semiglobosa undulato-sulcata, *seminibus in loculo numerosissimis ovatis arillo arcto subinclusis*, testa reticulata.

Per Australiam intratropicam ample distributa.

Sinus baseos foliorum sæpe clausus. Flores odori. Petala cærulea, purpurea, rosea, rarius alba, extus interdum atrocyanea. Capsula sæpe ad 1″ longa, ad $1\frac{1}{2}$″ lata, vertice concava, 15–20-loculata, succulenta, extus viridula rarius purpurascens. Semina ope funiculorum perbrevium septis flexuosis affixa, ante maturitatem rubra, maturata fuscenscentia, $\frac{3}{4}$‴ longa.

Diagnosis hic tradita e speciminibus solummodo Australianis ducit originem. Synonyma jam optime conduxerunt ill. J. Hooker et Thomson (Conf. Flor. Ind. i. 243). Longitudo connectivi antherarum vacillationibus videtur subjecta, eadem ratione ac in quibusdam Clematidis speciebus.

Rhizoma et fructus Nymphæarum cibum nativorum Australiæ sistunt.

Cruciferæ.

Menkea procumbens.

Stenopetalum procumbens, Hook. Icon. Pl. 610.

Foliis spathulato- v. cuneato-oblongis, *siliculis pedicello breviori-bus* v. eundem subæquantibus turgidulis ovatis vel ellipticis.

In deserto ad flumina Darling et Murray. F. M. Ad flumen Cygnorum. Drummond.

Capsellam ellipticam eximie imitans. Cotyledones scilicet incumbentes.

Menkea Australis.

Lehm. Index Sem. Hort. Hamb. 1843, p. 8 ; Bunge in Lehm. Pl. Preiss. i. 259 ; Stenopetalum draboides, Hook. Icon. Pl. 617.

Foliis lineari-spathulatis, *siliculis pedicello pluries longioribus* obovato-oblongis planis.

In Nova Hollandia austro-occidentali.

Hujus speciei diagnosin juxta tabulam supra citatam exstruxi, quum plantam ipsam nondum viderim.

Sisymbrium eremigenum.

Annuum, erectum, *pubescens*, foliis parvis pinnatilobis, lobis lineari-lanceolatis lobulatis v. edentulis, pedicellis patentibus siliquæ subæquilongis vel ea dimidio brevioribus, *petalis flavis* sepala viridia paulo superantibus, staminibus corollam pæne æquantibus, antheris cordato-oblongis, siliquis lineari-cylindricis, valvis lenissime uninervatis, seminibus fuscis uniseriatis lævibus latitudinem septi saltem semiæquantibus.

Ad flumen Balonne. Sir Th. Mitchell. Ad fluvium Darling prope Bamamero. Dr. Beckler.

Herba sæpius spithamæa, pluricaulis, pilis simplicibus confertis canescens. Folia pollice sæpius breviora. Petala 1‴ paulo excedentia. Siliqua $\frac{1}{2}$–1″ longa, $\frac{1}{2}$–$\frac{3}{4}$‴ lata. Semina circiter $\frac{1}{3}$‴ longa.

A Sisymbrio nasturtioide (F. M. Transat. Vict. Inst. i. 115; Plants indigenous to Vict. i. 39) videtur specifice distinctum.

SAPINDACEÆ.

Dodonæa truncatiales.

Erecta, elatior, vix viscosa, ramulis acute v. compresse angulatis apice subulatis, foliis augusto- v. lineari-lanceolatis chartaceis glabris, floribus simpliciter v. paniculatim corymbosis, sepalis quatuor subovatis acutiusculis deciduis antheras subsessiles tetragono-ovatas muticas apice barbellatas parum superantibus, capsulis tri- v. frequentius quadrivalvatis, *valvis sursum dilatatis longitudine sua fere latioribus superne in alam latiorem quam longam acutiusculam antice truncatam productis* inferne apteris, columna late alata.

In vallibus silvaticis ad ripas glareosas fluminum Towamba, Yowaka et Genoa River.

Frutex 1–2-orgyalis, dioicus v. passim monoicus. Folia 2–6″ longa, $\frac{1}{4}$–$\frac{1}{2}$″ lata, fere opaca, subtus aliquantum pallidiora, utplurimum in apicem et basin sensim acutata, tenuissime venosa, margine integerrima v. imperfecte repandula, non nisi exsiccatione parum revoluta. Inflorescentia femina simplicior, quam mascula. Sepala lineam vix excedentia. Fructus $1\frac{1}{2}$–2‴ alti. Alæ nunc dimidiato-lanceolatæ, nunc lanceolato-semiovatæ, 2–4‴ latæ. Semina bene maturata haud exstant.

Nativi e ligno durissimo cuspides jaculorum faciunt.

D. platyptera, quæ nostræ similis, regiones tropicas nec, ut reor, locos interjacentes inhabitat.

TILIACEÆ.

Elæocarpus holopetalus.

(Sect. Beythea.)

Ramulus lanuginoso-tomentosis, *foliis* obovato-rarius elongato-lanceolatis acutiusculis v. acuminatis breviter petiolatis repando-

serratis crebre venosis supra glabris *subtus fulvido-pallidis tomentellis* rarius glabriusculis, *racemis fuscescenti-tomentosis* hermaphroditis, sepalis quinque pedicello paulo brevioribus, *petalis glabris indivisis* antice lenissime crenulatis, staminibus 12–15, filamentis glabriusculis anthera oblonga puberula mutica apice brevissime barbata et hinc tantum dehiscente paulo brevioribus, stylo brevi inferne cum germine sericeo-pubescente, drupæ putamine subovato.

In vallibus silvaticis montium Nungatta Mountains ad originem amnis Nina Creek, altitudine 2000–4000′ supra pelagum. Weatherhead. F. Mueller. Ad flumen Terra. J. Alexander.

Arbor altitudine 80′ passim præstans. Cortex cano-fuscus, parum rugosus. Ramuli teretes, statu juniore viscidi. Stipulæ breves, lanceolato-subulatæ, spadiceæ, glutinosæ. Folia evoluta inter 2 et 6″ longa, petiolo paucilineari prædita, satis copiose patentinervia, potius coriacea quam chartacea. Racemi pauciflori, simplices, sigillatim ex axibus foliorum superiorum oriundi. Bracteolæ herbaceæ, fere lanceolatæ, margine concurvæ, 3–5‴ longæ, cito deciduæ, acutæ, extus tomentellæ, ad basin pedicellorum solitariæ. Sepala angusto-lanceolata, $2\frac{1}{2}$–3‴ longa, apice acuta, extus tomento tenui cano-fuscescente induta, intus glaberrima et prominenter unicostata. Petala calycem paulo superantia, obovato-cuneata, nullo modo fimbriata, ne quidem laciniata, superne albida, inferne lætissime rubicunda. Filamenta quasi biseriata ; exteriora breviora. Anthera vix semilinea longiores. Stylus $1\frac{1}{2}$‴ metiens, subulato-setaceus, superne glaber, e duobus arctissime connatis constans. Discus annularis costulatus, præter apicem extus glaber. Germen ovato-globosum, indumento cano velatum, biloculatum, paucigemmulatum. Drupa perfecta nondum nota ; putamen e residuis fructus vetusti 3-5‴ longum, valde rugosum, loculo altero seminifero, altero casso.

Pittosporeæ.

Marianthus parviflorus.

Volubilis, ramulis tomentoso-sericeis, foliis petiolatis ovato-lanceolatis ovatisve acutis imperfecte sericeis margine densius pubescentibus planis, cymis axillaribus terminalibusque plurifloris longiuscule pedunculatis, pedicellis flore parvo longioribus pubescentibus, sepalis corollam saltem semiæquantibus bracteolisque lineari-setaceis pubescentibus, *petalis liberis* glabris obovatis basi cuneatis, *filamentis corolla dimidio brevioribus e basi dilatata setaceis* glabris, antheris minutis albidis ovato-subcordatis, *stylo brevi germineque glabris*, capsulis parvis subglobosis.

In rupibus graniticis montium Perongerup Ranges. Maxw.

Folia 1–$1\frac{1}{2}$″ longa, consistentiæ tenuioris, basi obtusa v. nonnunquam emarginata. Pedunculi $\frac{1}{2}$–$1\frac{1}{2}$″ longi. Pedicelli tenues,

$\frac{1}{3}$–1″ longi. Petala $2\frac{1}{2}$–3‴ longa, quantum ex eorum statu sicco judico, albida. Antheræ versatiles, circiter $\frac{1}{2}$‴ longæ. Stylus $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}$‴ metiens. Capsula $1\frac{1}{2}$–2‴ longa, paulo in formam didymam vergens, statu maturo nondum cognita.

Species fere habitum Sollyæ præ se fert, affinitate alligatur M. candido et imprimis M. cœlesti, absquo ultimo foliis distincte petiolatis, bracteolarum petalorum et filamentorum forma facile discriminatur.

Marianthus rhytidosporeus.

Diffusus, ramulis tomentellis rigidulis passim spinescentibus, *foliis minutis sessilibus* sparsis v. fasciculatis cuneato-obovatis margine revolutis supra parcissime pilosulis subtus glabris margine ciliolatis, *pedicellis solitariis* axillaribus et terminalibus longitudinem floris subæquantibus v. superantibus puberulis, petalis violaceis sepala lineari-lanceolata ter superantibus staminia subæquantibus cuneato-oblongis, filamentis setaceis glabris, antheris cordato-oblongis, stylo breviusculo, germine glabro, capsula subglobosa.

In Nova Hollandia austro-occidentali, sinum Esperance Bay versus. Maxw.

Frutex, e ramo suppetente, potius Rhytidospori quam Marianthi facie. Folia $1\frac{1}{2}$–2‴ tantum longa. Pedicelli $1\frac{1}{2}$–6‴ metientes. Petala circiter 3‴ longa, glabra. Antheræ versatiles, $\frac{1}{2}$‴ longæ. Capsula nondum matura pisi magnitudine.

Elatineæ.

Elatine pedicellaris.

Bergia pedicellaris, F. M. in Herbar. Exped. Gregorian.

Major, caule erecto glanduloso-puberulo annuo, stipulis conspicuis fimbriolatis, foliis oppositis lanceolatis acutis minutissime crebreque serrulatis margine glanduligeris, *pedicellis prætenuibus axillaribus solitariis geminisve folia superantibus v. subæquantibus cum calyce magno quinquesepalo glanduloso-puberulis*, petalis ovato-lanceolatis calycem subæquantibus, staminibus 10 v. raro paucioribus, capsula lenissime sulcata quinquevalvi, seminibus oblongis lævissimis fulvis.

Ad ripas glareosas passim inundatas fluviorum Victoriæ, Fitzmaurice et secus rivulas iisdem adfluentes.

Herba annua, erecta, glanduloso-puberula, digitum ad spithamam alta. Radix flexuosa, tenuis, simplex vel fibrosa. Innovationes fere ex omnibus axillis. Glandulæ saturate rubræ. Caulis teretiusculus, simplex vel ramosus. Folia $\frac{1}{2}$-1‴ longa, acuta, in petiolum brevem angustata, subtile serrulata, utroque pagina concoloria, præter marginem ciliolatam glabra, penninervia. Stipulæ lanceolato- vel lineari-subulatæ, nervo viridi, margine membra-

naceæ, recurvæ, 1–1½‴ longæ. Pedicelli axillares, solitarii vel gemini, inarticulati, 1″ longi vel varie breviores rarius longiores, subcapillares, glanduloso-puberuli. Calyx 5-partitus, æstivatione imbricatus, persistens, 1½–2‴ longus; laciniæ lanceolatæ, acuminatæ, tenui-carinatæ, pilis rubris glanduligeris obsessæ, rubro-marginatæ; duæ earum margine rubro-membranaceæ, non ciliolatæ, tres ciliolatæ. Petala persistentia, quinque, libera, calycis laciniis alterna, ovato-lanceolata, acuta, rosea, glabra, 2‴ longa. Filamenta linearisetacea, basi parum dilatata, albida, petalis breviora. Antheræ rubellæ, biloculares, subrotundæ, supra basin insertæ, basi et apice emarginatæ, loculis longitudinaliter dehiscentibus. Germen globosum, leniter 5-angulatum, album. Stigma 5 sessilia, clavata, mox patentissima et fere deltoidea, brevissima, rubra. Capsula subglobosa, calyce vix brevior. Placentæ 5 septis interjectæ, inferne liberæ, apice bifidæ. Semina numerosissime placentis affixa, minutissima.

Quod longitudinem pedicellorum attinet species B. anagalloidi comparanda, duratione, stipularum forma et magnitudine aliisque notis suam diversitatem vindicans.

Elatine perennis.

Bergia perennis, F. M. loc. cit.

Caule perenni procumbente, ramis glabris vel parce puberulis, stipulis conspicuis serrato-ciliatis, foliis ovato-lanceolatis oppositis minutissime crebreque serrulatis glandulosis, pedicellis axillaribus solitariis folia æquantibus vel iisdem brevioribus cum calyce glabris, petalis lanceolatis calycem magnum paulo superantibus, staminibus 10 vel rarius paucioribus, capsula quinquevalvi vix sulcata, *seminibus nigris clathratis* curvato-ellipsoideis.

Ad ripas lacunarum passim inundatas oryzam sponte alentes prope rivum Sturt's Creek Australiæ subcentralis.

Suffruticulus prostratus, ramosus, spithamæus usque pedalis. Ramuli teretes. Folia opposita, subglauca, 2½–4‴ longa, acuta, in petiolum brevem sensim angustata, glabra, lateraliter subenervia. Stipulæ lanceolato-lineares, acutissimæ, subenerves. Pedicelli calyce æquilongi vel eo longiores, glabri. Bracteolæ lanceolato-lineares, ad pedicellorum basin sitæ, membraneæ, fimbriolatæ, 1‴ longæ. Calyx 2‴ longus, laciniis ovato-lanceolatis, carinatis, acuminatis, glabris, margine albo-membranaceis, eglandulosis, exterioribus denticulatis, interioribus integerrimis. Petala rosea, glabra, circiter 3‴ longa. Stamina 10 vel pauciora; filamenta sepalina e lanceolata basi subulata, petalina filiformia, omnia germine longiora. Antheræ dorsifixæ, erectæ, cordatæ. Pollen ochroleucum. Stigmata 5, filiformia, demum recurva. Capsula globosa, calyce triente brevior, septifrage 5-locularis, raro 4-locularis, polysperma. Placentæ axillares, inferne liberæ. Semina curvato-ellipsoidea, fere ½‴ longa, nitentia.

Jam florum dispositione a Bergia suffruticosa distat; duratio perennans sicut habitus et brevitas pedicellorum B. perennem a B. pedicellari separant. Affinis etiam B. glomerata L. et B. decumbens, Planch. (Conf. Harv. & Sond. Flor. Cap. i. 116; Harv. Thes. Flor. Cap. t. 24.)

Elatine ammannioides.

Wight et Arnott Prodr. i. 41; Miq. Flor. Ind. Batav. i. 2, 119 (partim); Bergia ammannioides, Roth Nov. Plant. Spec. 219.

Caule erecto pubescente annuo, stipulis fimbriolatis conspicuis, foliis oppositis lanceolatis crebre serrulatis margine vix glanduligeris, *pseudo-verticillis multifloris*, pedicellis folio multo brevioribus pubescentibus, petalis angusto-lanceolatis calyce paulo brevioribus, staminibus 5, antheris rubris, *capsula profunde sulcata 5-valvi*, seminibus fuscis sublævibus curvulo-oblongis.

Ad ripas glareosas et in alveo sicco fluviorum Victoriæ, Sturt's Creek et secus rivulos iis adfluentes.

Herba annua, erecta, digitum ad spithamam alta. Radix flexuosa, tenuis, simplex vel ramosa. Innovationes e plerisque axillis. Caulis teretiusculus, simplex vel ramosus, pube patente eglandulosa vestitus. Folia $\frac{1}{2}$–1″ longa, opposita, lanceolata, acuta, in petiolum sensim angustata, irregulariter serrulata, penninervia, utroque pagina subconcoloria, glabra, margine parce glanduligera. Stipulæ lineari-subulatæ, nervo viridi prædita, margine membranaceæ, glanduloso-fimbriatæ, nunc incisæ, recurvæ, 1–1$\frac{1}{2}$‴ longæ. Verticillastra axillaria, multiflora. Pedicelli calycem æquantes vel eo duplo longiores, patentim pubescentes. Calyx 5-partitus, æstivatione imbricatus, persistens, 1‴ longus, laciniis angusto-lanceolatis cymbiformibus acuminatis, carina viridi, margine albo-membranaceis subglanduloso-ciliatis, duobus glabriusculis. Petala calycis laciniis scilicet alterna, persistentia, 5, libera, lineari-lanceolata, acuminata, calyce paulo breviora, germen æquantia. Stamina calycis laciniis opposita, germine breviora. Antheræ dorsifixæ, subcordato-rotundæ, rubræ, filamentis pluries breviores, minutæ. Filamenta lineari-setacea, glabra, basi dilatata. Stigmata 5, clavata, truncata, subsessilia, saturate rubra, demum expansa. Capsula globosa, calyce triente brevior, saturate rubra, septifrage 5-valvis, polysperma. Placentæ inferne liberæ, pallidæ, columnæ centrali insertæ. Semina sordide et obscure fusca, nitentia, circiter $\frac{1}{8}$‴ longa.

Magna est affinitas inter B. ammannioidem et B. tripetalam (F. M. in Transact. Phil. Inst. Vict. ii. 66; Plants of Vict. pl. 9). Numero partium floralium species Australasicæ non nisi casu aberrare videntur.

In speciminibus Indicis Bergiæ ammannioidis a clar. Hooker et Thomson benevole transmissis vidi indumentum ex parte glanduliferum; hæc aliis in rebus sufficienter cum nostris con-

veniunt. Figura B. ammannioides in Wight Illustr. t. 25 A. (ut adnotat clar. Seubert in Walp. rep. i. 285) haud ad genuinam, sed cum icone in Hook. Misc. tab. suppl. xxviii. ad B. trimeram pertinet. Ultimæ valde cognata B. tripetala. Speciem B. ammannioidi similem in herbario expeditionis Gregorianæ sub nomine Elatine (Bergia) verticillaris depositam reperi statu deflorato in planitiebus passim prolutis ad Roperi flumen, quæ jam specifice dignoscenda videtur glabritie, foliis angustioribus remote denticulatis, sepalis subulato-linearibus setula terminatis, capsulis quadrivalvibus.

Portulaceæ.

Mollugo Cerviana.

Seringe in Cand. Prodr. i. 392; Fenzl in Annal. des Wien. Mus. i. 397.

Annua, glaberrima, caulibus radiatim expansis tenuissimis erectis v. diffusis, *foliis angusto-linearibus* rarius lato- v. oblongo-linearibus pseudoverticillatis inæquilongis, *pedicellis capillaribus* capsula pluries multotiesve passim paulo longioribus in umbellas pedunculatas v. sessiles collectis, staminibus 3–5, capsula calyce parvo parum longiore, seminibus semiovatis perminutis, testa tenuissime reticulata micanti-fusca.

In vicinia montium Barrier Range legit H. Beckler, expeditionis Victorianæ phytologus et medicus.

Herbula tenella, sesqui- ad pauci-pollicaris. Radix perpendicularis, tortuoso- v. flexuoso-filiformis. Caules straminei, capillari-filiformes. Folia tum radicalia tum caulina verticillos spurios struentia, longitudine $\frac{1}{3}$-1″ variabilia, glaucescentia, plana, uninervia, obtusiuscula, $\frac{1}{5}$–$\frac{1}{2}$ rarius 1‴ lata, adjecto uno alterove stipuliformi. Pedicelli basi inæqualiter minutimque bracteati. Sepala ovata v. elliptica, obtusa, margine membranea, circiter 1‴ longa. Petala scilicet nulla. Stamina persistentia. Filamenta lineari-setacea, tenerrima, capsulam dimidiam paulo superantia. Antheræ luteæ, ovatæ, minimæ. Stigmata brevissima. Capsula ovato-globosa. Semina vix $\frac{1}{8}$‴ metientia.

Mollugo Spergula non solum per totam Australiam intratropicam invenienda est, vero etiam ad ripas fluminis Murray extendit.

Aizoon quadrifidum.

Sesuvium quadrifidum, F. M. Report on Babbage's Plants, p. 9.

Frutescens, tomento tenui appressissimo alutaceo-furfureo undique vestitum, ramulis divaricatis pæne spinescentibus dichotomis, *foliis fere semiteretibus oppositis*, *floribus solitariis*, *calyce profunde quadrifido* breviter pedunculato, lobis ejusdem semilanceolato-ovatis demum deltoides acuminatis intus flavis, *staminibus valde numerosis* liberis, stigmatibus quatuor recurvo-subulatis, gemmulis copiosis secus columellæ totam longitudinem insertis,

capsulæ quadriloculatæ loculis oligospermis, seminibus nitenti-atris granulato-asperis.

In deserto ad Stuart's Creek; Herrgolt. Inter Duroodoo et Nangarera juxta tractum montanum Barrier Range; Beckler.

Planta, ut videtur, fruticosa, incertæ altitudinis. Capsula obverse tetragono-pyramidata, 2–3‴ longa, basi solum calyci adnata, vertice secundum angulos cruciatim prominentes loculicide dehiscens. Valvæ superne septifrage dissilientes. Semina pyriformi-renata, vix 1‴ longa.

Combretaceæ.

Lumnitzera montana.

(Sect. Macropteranthes.)

Arborea, ramulis squarrosis validis spinescentibus, foliis parvis fasciculatis breviter petiolatis oblongis v. obovatis integerrimis basi acutis apice obtusis utrinque cano-sericeis, *calycibus axillaribus solitariis subsericeis bracteolas magnas ovatas vix dimidio excedentibus*, dentibus ejusdem deltoideis tubo multoties brevioribus, stylo articulato inferne pubescente.

In montibus aridis apricis tractus Newcastle Range rarissima, longe a litore remota.

Arbuscula, ramulis teretiusculis subnigrescentibus. Folia plana, pleraque 3–6‴ longa, plana, decidua. Pedunculi cum calyce articulati, tenues, $1\frac{1}{2}$‴ longi. Bracteolæ semunciales, rubellæ, semiadnatæ, venosæ, marginibus demum reflexæ, extus sericeæ, intus superne glabrescentes. Calyx $\frac{3}{4}$–1‴ longus, cylindraceus, basi attenuatus, apice vix ampliatus, intus plus minusve pubescens, ad staminum insertionem albo-barbatus. Filamenta capillaria, glabriuscula, decidua. Antheræ ovato-cordatæ, apiculatæ, dorsifixæ, biloculares, longitudinaliter dehiscentes, pilosulæ, flavæ, $\frac{1}{2}$‴ longæ. Stylus uncialis, filiformis, superne glabrescens, infra medium articulatus, articulo infero basin versus incrassato, persistente. Stigma minimum. Germen basi calycis adnatum, uniloculatum, paucigemmulatum. Gemmulæ ex loculi apice pendentes. Fructus non inveni.

Stirps singularis, forsitan novi generis (Macropteranthi) typus.

Terminalia bursarina.

Chuncoa lactiflua, F. M. in Herb. Exped. Gregor. (Sect. Chuncoa.)

Fruticosa vel arborescens, ramulis teretiusculis apice cum petiolis cano-holosericeis passim glabris, foliis parvis glabrescentibus glabrisve lanceolato- vel rhombeo-ovatis basi cuneatis repandis obtusis vel emarginatis penninerviis reticulato-venosis petiolo compresso multoties longioribus, drupis spicatis exsuccis breviter acuminatis angustissime bi- raro tri-alatis latitudine parum longioribus, lateri-

bus verrucoso- vel cornuto-productis, testa seminum flavescente, nucleo cylindraceo.

Ad ripas glareosas vel siccas fluvii Victoriæ, nec non in locis depressis circum sinum Carpentaria Gulf, passim frequens.

Frutex orgyalis v. arbuscula habitu Bursariam æmulans. Ramuli patentes, e cano nigrescentes, rugosi et rimulosi, lactescentes. Folia 1–1½″ longa, ½–1″ lata, nitoris expertia, alterna vel fasciculata. Fructus 2½–4‴ longi. Pericarpium fuscescens, puberulum, exsuccum.

Specimina florifera nostræ collectionis, quæ ad hancce speciem referenda censeo, habent spicas longiuscule pedunculatas, ante explicationem eas quarundam Salicum mentientes, sesqui- ad pauci-pollicares, velutino-sericeas, conferte multifloras. Bracteolæ sunt lanceolato-ovatæ, ante anthesin cadentes, ⅔‴ circiter longæ. Calycis tubus fere 1‴ æquans ; limbus amplus tubi longitudine, lobis semi-lanceolato-deltoideis, intus flavescentibus glabriusculis. Filamenta et antheræ eis T. platyphyllæ similia.

Chuncoæ præsentia in terra australi jam dudum Robertus Brown nunciabat. (Conf. Append. Flind. Voy. p. 548.)

Terminalia erythrocarpa.

(Sect. Myrobalanus.)

Arborea, glabra, foliis elongato-lanceolatis petiolo pluries longioribus acutiusculis penninerviis reticulato-venosis basi longe angustatis margine subrepandis, *drupis coccineis ovatis apteris* carnulentis longe rostratis.

In silvis ripariis originem fluminis Victoriæ versus.

Arbor minor v. mediocris. Folia 2–6″ longa, ¾–1½″ lata. Spicæ 2–3 pollicares. Flores albi. Fructus rostro addito 4–6″ longi, piscibus pabulum præbent.

Terminalia platyphylla.

Broad-leaved Terminalia, Leichh. Narrative passim. (Sect. Myrobalanus.)

Arborea, ramulis teretibus cum petiolis pedunculisque velutinis, foliis magnis late obovatis obtusis vel emarginatis pasi parum angustatis supra parce subtus densius puberulis planis penninerviis reticulato-venosis petiolo teretiusculo quater ad sexies longioribus, *drupis* spicatis ellipsoideis tenuissime velutinis canovirentibus *apteris exangulatis* stylo tereti pluries breviore rostratis, putamine leviter compresso, testa seminum atropurpurea, nucleo cylindraceo.

Ad ripas fluviorum Victoriæ, Sturt's Creek, South Alligator River, nec non in ripariis finitimis.

Arbor mediocris, satis umbrosa. Ramuli patentes, cortice e cano nigrescente parum rugoso obducti. Folia utplurimum 4–6″

longa, 2–4″ lata, supra parum nitidula. Drupa 7–10‴ longa. Pericarpium viride, coriaceum. Putamen in basin et apicem sensim acutatum.

T. microcarpæ (Decaisne Nouv. Ann. Mus. iii. 457) in insulis Lord Howick's Group reperiendæ finitima, drupis fere decoloribus non atrocæsiis, foliis utplurimum indutis et forsan floribus diversa.

Specimen floriferum nostri herbarii vix dubie ad T. platyphyllam pertinens ostendit spicas axillares, solitarias, 2–5″ longas, pedunculo breviusculo præditas, conferte multifloras, undique indumento cano-fusco velutinas. Bracteolæ sunt $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}$‴ longæ, deciduæ, semi-lanceolatæ. Calycis tubus 1‴ longus ; limbus amplus fere ejusdem longitudinis, 5-fidus ; lacinæ deltoideæ, acutæ, intus glabriusculæ ; faux dense barbata. Filamenta setacea, capillaria, $1\frac{1}{2}$–2‴ longa, glabra. Antheræ luteæ, didymo-cordatæ, $\frac{1}{6}$‴ longæ, introrsum dehiscentes. Stylus pæne 1‴ longus, glaber, capillari-setaceus.

T. Belericæ propinqua.

Terminalia edulis.

(Sect. Myrobalanus.)

Arborea, glabra, ramulis teretiusculis, foliis deciduis orbiculari-ovatis integerrimis penninerviis reticulato-venosis petiolo inferne teretiusculo superne semiterete duplo longioribus, *drupis flavescentibus carnosis ovatis apice attenuatis lævibus apteris,* putamine compresso, testa florescente, nucleo cylindraceo.

In planitiebus collibusque siccis passim secus fluvios Fitzmaurice River, Victoria River, South Alligator River aliosque Australiæ borealis.

Arbor minor. Ramuli crassi, apice foliati. Folia 3–5″ longa, 2–4″ lata, nitoris fere expertia. Drupæ 8–10‴ longæ ; pericarpium fibroso-mucilaginosum, acidulum.

T. platyphyllæ imprimis quoad flores ulterius comparanda.

Terminalia platyptera.

(Sect. Catappa.)

Arborea, ramulis teretibus cum petiolis pedunculisque tenuiter velutinis, foliis obovatis obtusis basi parum angustatis parce puberulis planis penninerviis reticulato-venosis petiolo semiterete sexies pluriesve longioribus, *drupis* spicatis exsuccis parce velutinis *trigono-ovatis utrinque ala duplo vel triplo latiore præditis* latere interiore angulatis, seminum testa fulvescente, nucleo subplicato.

In planitiebus terræ Arnhem's Land et circum sinum Carpentariæ.

Arbor minor, coma decidua. Cortex nigrescens, profunde rimosus et transversim rugosus. Ramuli cano-fusci. Folia $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}$″ longa, dilute viridia, vix nitentia. Drupæ $\frac{2}{3}$–1″ longæ, sessiles,

cum stylo pluries breviore alatæ, alis substramineis extrorsum versis, confluentibus, rotundatis. Nucleus latere exteriore longitudinaliter uni-sulcatus, ceteroquin angulatus.

Juxta T. Catappam in systema inseratur.

Terminalia pterocarya.

(Sect. Catappa.)

Arbuscula, ramulis teretiusculis cum pedunculis petiolisque subvelutinis, foliis obovatis obtusis vel emarginatis basi angustatis glabriusculis glaucescentibus planis integerrimis uninerviis venosis petiolo quater ad sexies longioribus, *drupis glabris ovatis exsuccis obscure tetragonis cum stylo pedicelloque late bialatis*, testa fusca, nucleo cylindraceo.

In plaga alta rupestri (Sandstone-Tableland) inter flumina Victoria et South Alligator River, nec non prope montes McAdam Range.

Arbuscula ad 20′ alta. Ramuli patentes, cortice cano fusco ruguloso obducti. Folia pleraque $1\frac{1}{2}$–2″ longa, ad 1″ lata. Petioli tereti-compressi. Drupæ cum ala unciam longæ, pallescentes. Alæ diametro putaminis æquilatæ, apice obtusæ, basi angustatæ.

Inter species Australes antecedenti proxima.

Terminalia oblongata.

Arborescens, ramulis teretibus cum foliis pedunculisque glabrescentibus, *foliis subfasciculatis cuneato-oblongis* vel rarius obovatis penninerviis venulosis obtusis petiolo pluries longioribus, spicis folia superantibus tenui-pedunculatis, *calyce intus cum styli parte infera pubescente*, limbo tubi longitudinem duplo excedente.

In virgultis ad fluvios Fitzroy, Suttor, Dawson et Burdekin; in terra Arnhem's Land.

Arbuscula ramis squarrosis. Folia $\frac{1}{2}$–1″ longa, indistincte pellucenti-punctata. Spicæ patentissimæ, 1–$1\frac{1}{2}$″ longæ. Calyces flavescentes, 3–4‴ longi, extus sericei, rarius glabri. Stylus demum semuncialis. Fructus ignoti, quare positio sectionalis hujus speciei non definienda.

Vidi in Australia unam alteramve speciem a præeuntibus diversam statu autem adeo imperfecto, ut definitionem non tentarem.

Euphorbiaceæ.

Euphorbia erythrantha.

Perennis, erecta, *velutino-pubescens*, foliis oppositis subsessilibus orbiculato- v. cuneato-obovatis apicem versus subtiliter serrulatis, involucris minutis axillaribus solitariis, *bracteolis antice crenato-laciniatis glandulis stigmatibusque sanguineis*, antheris nigritis, capsulis parvis pubescentibus.

In deserto circum montes Barrier Range. Dr. Beckler.

Planta spithamæa, valde ramificans. Radix simplex, flexuosa, descendens. Folia haud evidenter stipulata, 2–4‴ longa. Bracteolæ vix $\frac{1}{3}$‴ longæ. Capsula 1‴ metiens.

Synostemon rigens.

Fruticosus, ramis rigidis teretibus denique pæne spinescentibus, *foliis parvis fasciculatis cuneato-obcordatis* virentibus ramulisque hispidulo-puberulis, floribus dioicis, fœmenieis solitariis, pedicellis fructiferis calyce bis terve capsula paulo longioribus, stylis brevissimis, stigmatibus nephroideo-dilatatis, capsulis ovato-globosis apice contractis, seminibus lividis squalidis latitudine sua duplo longioribus.

In tractu Mutanie Range; Beckler. Ad flumen Bogan; Bowman.

Altitudo fruticis non adnotata. Rami patentissimi. Stipulæ brevissimæ, spadiceæ. Folia 1–4‴ longa, complicata, ætate expansa. Flores masculi latent. Sepala florum fœmineorum lineam vix superantia, apice rubella et hinc parum dilatata, passim septimo aucta. Stigmata perminuta. Capsula circa 4‴ longa.

S. ramosissimo similius, quam S. glauco.

Pseudanthus polyandrus.

Glaber, ramulis vix angulatis, foliis alternis breviter petiolatis oblongo-linearibus subcanaliculatis subtus paulo scabriusculis, stipulis lineari-subulatis parce ciliolatis, floribus masculis in axi foliorum supremorum solitariis corymbum subcapitatem struentibus, pedicellis flore brevioribus sursum incrassatis, calycis 6-partiti segmentis lineari-lanceolatis acutis, *staminibus circiter 25 calycem conspicue superantibus circiter medio tenus in columnam connatis.*

In Nova Hollandia austro-occidentali promontorium Cape le Grand versus. Maxw.

Specimen mecum communicatum ostendit caules plures erectos simplices digitum ad spithamam altos et radicem flexuosam perpendicularem subcylindraceam, residuis caulium vetustorum igne destructorum adstantibus. Sunt hi caules autem, ut opinor, proles juveniles cito florentes, qui forsan proceriores fiunt.

Folia 3–6‴ longa, 1‴ lata, obtusa. Stipulæ liberæ, circiter 1‴ longæ. Calycis segmenta 1–1$\frac{1}{2}$‴ longa, passim lutescentia. Filamenta lutea; columna circiter 1‴ alta. Antheræ aureæ; loculi $\frac{1}{4}$‴ longi, ovati, inferne divergentes. Flores femini sicut fructus nondum in cognitionem veniebant.

Generi amarantaceo Pseudantho (Wight icon. 1776 A.) nomen Nothanthus imponere possis.

Leguminosæ.

Mirbelia oxylobioides.

(Sect. Phragmolobium.)

Erecta, ramulis tenui-sericeis, *foliis minutis ternatis ovatis* acute apiculatis margine recurvo-incrassatis supra scabridis et pilosulis subtus parce sericeis, umbellis brevissime pedunculatis paucifloris, calycis pedicello longioris basi decidue bracteolati extus tenui-sericei laciniis semilanceolatis acutatis fere conformibus, leguminibus brevissime stipitatis ovatis rostellatis appresso-pubescentibus, valvis apice integris, *septo e sutura infera orto suturam seminiferam tangente, endocarpio adnato,* seminibus in utroque loculo paucis atris parum nitentibus.

In vallibus profundis rupestribus montium Haidinger Range ad originem fluviorum Macallister et Mitchell River, altitudine 3000–4000′.

Frutex pauci- v. pluripedalis. Folia exstipulata, brevissime petiolata, 1–2‴ tantum longa, subcoriacea, patentia. Calyces 2–2½‴ longi, intus glabri. Bracteolæ, petala et stamina ignota. Stylus curvato-setaceus, 1‴ vix longior, præter basin glaber. Stigma minimum, punctiforme. Legumen 4–5‴ longum, turgidum, secus suturas inflexum, septo fere completo saltem semilineam lato biloculatum, intus parcissime pilosulum. Semina 1‴ vix excedentia, reniformi-ovata, lævia, estrophiolata. Albumen parcissimum. Cotyledones ovatæ. Radicula brevissima.

Species Pultenæam bæckeoidem mentiens, Mirbeliæ ovatæ sane approximanda, sed donec flores reperientur dubia remanet, et fortassis jam propter endocarpii adhæsionem perpetuam genus proprium nomine sectionali significandum formabit.

Compositæ.

Ethuliopsis.

Capitula stricte v. polygamo dioica. Involucri squamæ pauciseriales, imbricatæ. Paleæ nullæ. *Mas.:* Receptaculum planum. Corollæ plurimæ, cylindraceæ, basin versus sensim attenuatæ, apice 5-dentatæ. Antheræ ecaudatæ. Stylus indivisus. Germen abortivum. *Pappi setæ paucæ,* scabridæ, apicem versus leniter incrassatæ. *Fem.:* Receptaculum hemisphæricum. Corollæ feminæ valde numerosæ, tenuissime cylindraceæ, apice indistincte dentatæ, sæpius flores paucos solitariumve masculos circumdantes. Stylus breviter exsertus, cruribus tenuissimis. *Achenium* leniter compressum et curvatum, clavellato-teretiusculum, *annulo tenuissimo oblique terminatum, lineola decurrente raphoidea notatum. Pappus nullus.* Planta perennis, erecta, glabra, foliis alternis sessilibus v. amplexantibus oblongo-lanceolatis irregulariter argute

dentatis v. minutim denticulatis v. passim breviter lobatis, capitulis parvis in paniculas terminales et laterales subcorymbosas congestis, masculis campaniformibus, femineis subgloboso-urceolaribus, corollis albidis, acheniis minutis glabris.

Genus seriei Grangearum adnumeravi; a Dichrocephala differt propter involucrum imbricatum et pappum masculum non abbreviatum, sicut sexus distributionem et achenii formationem. Attingit etiam ad Epaltem, quæ perfecto pappi defectu, floribus monoicis et acheniis obovato-ellipsoideis nec obliquis nec lineola notatis discernitur. Ab Ethulia longius distat, ut e planta imperfecta jam præclarus Hooker suspicabatur.

Ethuliopsis dioica.

F. M. Plants Indigenous to the Colony of Victoria, pl. xxxviii.; Epaltes Australis, Cand. Prod. v. 462, non Less., fide Sond. in Linnæa, 1852, p. 482; Ethulia Cunninghami, Hook. in Mitch. Trop. Austr. p. 62.

In locis depressis ripariis ad flumina Macquarie, Lachlan, Murrumbidgee, Murray, Darling; inde occidentem versus saltem usque ad rivum Stuart's Creek extendens.

Planta spithamæa v. altior. Rami teretiusculi, striolati, alterni. Folia exceptione superiorum minorum $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{2}''$ longa, 2–5‴ lata, plana, remotiuscula, concoloria. Capitula pedunculo proprio brevi v. brevissimo passim longiusculo prædita, mascula $1\frac{1}{2}$–2‴ longa, femina paulo minora. Involucri squamæ margine indistincte ciliolato-scabridæ, flavo-virentes, exteriores subovatæ, interiores cuneato- v. oblongo-lanceolatæ. Corollæ masculæ 1‴ paulo excedentes; feminæ circiter $\frac{2}{3}'''$ longæ. Pollinis granula ovata, echinulata. Achenia nitenti-fusca, $\frac{1}{3}'''$ tantummodo longa, latere interiore filo tenerrimo albido decurrente insignita, callo basilari annulari brevissimo prædita.

Acanthocladium.

Capitulum heterogamum, multiflorum. Involucri subcampanulati haud radiati squamæ pluriseriatim imbricatæ, scariosæ; exteriores subovatæ; interiores lanceolato- et lineari-oblongæ, apice pellucentes. Receptaculum epaleatum, tuberculatum, planum. Flores pauci peripherici, fœminei. Corolla tenuissime cylindracea, apice in dentes 4–5 angustos fissa. Stylus apice bifidus, cruribus angustissime canaliculatis. Flores centrales hermaphroditi. Corolla horum cylindracea, sursum ampliata, apice 5-dentata. Antheræ ecaudatæ. Styli rami breves, penitenues, apice indistincte capitellati. *Pappus conformis, pluriserialis, setis tenerrime capillaribus*, vix scabriusculis, basi connatis, apicem versus paulo barbellatis. Achenia omnia fertilia, cylindracea, tenui-papulosa, basi et apice truncata.

Suffrutex Australiæ interioris tenuiter cinereo-tomentosus, valde ramosus, *ramulis spinescentibus* divergentibus, foliis alternis ovato- v. angusto-lanceolatis planis plerisque parvis, capitulis solitariis ramulos terminantibus, involucri squamis præter dorsum velutinum aureis.

Genus habitu peculiare, ab Ixiolæna et Helichryso jam pappo pluriseriato, ab illa insuper floribus heterogamis, antheris ecaudatis et pappi teneritate recedens.

Acanthocladium Dockerii.

In collibus arenosis ad flumen Darling. Dr. Beckler.

Rhizoma lignosum, descendens, sæpe pedale. Caules teretes. Ramuli in spinas apicem versus glabras terminati. Folia sessilia, inferiora 1″ longa et distincte trinervia, superiora gradatim breviora, summa tantum 2–3‴ longa, utrinque cinereo-velutina. Capitula quasi breviter pedunculata, 4–5‴ longa. Involucri squamæ haud aut imperfecte ciliatæ, apice acutiusculo pellucido spurie appendiculatæ. Corollæ circiter 2‴ longæ, glabræ, flavæ. Achenia exsulca, pallida, circiter $\frac{2}{3}$‴ longa. Pappi setæ albæ, numerosæ, longitudine parum inæquales, corollam subæquantes, præter apicem flavidulum et basin lutescentem albæ.

Nomen plantæ elegi in honorem reverend. Jos. Docker, expeditioni Victorianæ præstantis et munifici fautoris.

Helichrysum semicalvum.

(Sect. Chrysocephalum.)

Suffruticosum, patentim ramosissimum, ramis arachnoideo-lanuginosis v. glanduloso-hispidulis, foliis sessilibus v. amplexantibus oblongo- v. angusto-lanceolatis mucronulatis supra puberulo-asperulatis subtus primum tomentellis demum glabrescentibus, *capitulis parvis terminalibus solitariis* flavo- v. aureo-nitentibus, *squamis exterioribus lanceolatis acutis ciliatis, floribus fœmineis paucis periphericis pappo nullo v uniseto v. pauciseto instructis*, acheniis glabris erostribus, pappo florum hermaphroditorum e setis 13-19 serrulatis sursum incrassatis constante.

In rupibus tractus Barrier Range, Beckler; in montibus McDonnell Ranges Australiæ centralis, J. M. Stuart.

Planta sesqui- ad paucipedalis, odore inamœno. Folia pleraque pollice paulo longiora vel breviora. Capitula ramulos superne dissite foliatos terminantia, demum pæne hemisphærica et semipollicem lata. Squamæ involucri in basin sensim angustatæ, interiores angustiores et minus ciliatæ. Corollæ pappum æquantes, fœmineæ ceteris tenuiores. Achenia fuscescentia, semilineam vix superantia. Pappus $\frac{1}{2}$–2‴ longus, apicem versus paulo flavescens.

Species a ceteris ejusdem sectionis capitulis solitariis distincta.

Helipterum semisterile.

(Sect. Leiochrysum.)

Annuum, *pusillum*, caulibus ramisque lanuginoso-puberulis, foliis alternis linearibus glabratis, capitulis ramulos terminantibus hemisphærico-campanulatis, involucri squamis glabriusculis lamina brevissima flava radiantibus, *floribus hermaphroditis centralibus sterilibus*, marginalibus fertilibus, acheniis horum angulato-obovatis subtiliter papulosis, pappi conformis albi setis circiter 10–13 longiuscule plumosis corollam subæquantibus.

In plagis depressis aridis ad flumen Darling. Dr. Beckler.

Herbula 1–2″ alta, adscendens v. diffusa, sæpe pluricaulis. Folia sæpe pauci-linearia, interdum ultra semipollicem longa. Capitula ramulos terminantia, solitaria, circiter 3‴ longa. Squamæ involucri sessiles, pæne decolores. Lamina 1‴ brevior, glabra, integerrima. Achenia vix 1‴ longa, pallide viridulo-fusca. Pappus tenerrimus, vix 1‴ excedens.

Species H. diffuso (me nondum viso) et H. exiguo approximanda; ab ultimo partium omnium magnitudine et involucris radiantibus jam sufficienter diversa.

Cyathopappus.

Capitula biflora, homogama, numerosa, in glomerulum depresso globosum dense accumulata. Involucri generalis squamæ pauciseriales, glomerulo paulo breviores, cum bracteis receptaculi oblongo-lineares, appendicula brevi scariosa aurea radiantes. *Receptaculum generale leniter convexum.* Involucrum cujuscunque capituli sessile. Squamæ subbiseriatæ, circiter 7–8, glabræ, anguste cuneato-oblongæ, apice citrino-appendiculatæ, margine hyalinæ. Flores hermaphroditi. Corollæ cylindraceæ, basi attenuatæ, apice quinque-dentatæ et glanduligeræ. Antherarum basis hastata. Styli rami tenuissime canaliculati, apice truncati. Achenia subangulata, clavato-ellipsoidea. *Pappus brevis, cyathiformis*, vix denticulatus, simul cum corolla deciduus.

Herba annua, humilis, ramosa, arachnoideo-lanuginosa, foliis alternis linearibus, glomerulis parvis solitariis ramulos tenues foliatos terminantibus.

Genus juxta Gnephosin, Cephalosorum et Nematopodum stabit; a Gnephosi differt receptaculo haud elongato et squamis involucri specialis æquilongis; a Nematopodo redditur diversum absentia pedunculorum capillarium et pappi evolutione; denique a Cephalosoro discrimina præbet in capitulis bifloris, squamis flores haud revera involventibus appendiculatis et receptaculi depressione.

Cyathopappus gnephosoides.

Cephalosorus gnephosoides, F. M. collect.

Tam in locis depressis, quam in collibus arenosis secundum Darling flumen. Dr. Beckler.

Herba paucipollicaris usque spithamæa. Radix descendens, filiformis, fibrillas tenues agens. Folia glabrescentia, uncialia et breviora, superiora sæpe ad longitudinem 2‴ reducta, omnia $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}$‴ lata, costa subtus prominente percursa. Glomeruli diametro 2–6‴ variantes, solitarii, raro abbreviatis ramulis conferti. Involucri proprii squamæ $1\frac{1}{2}$‴ longæ, appendice brevissima cordato- v. renato-orbiculari terminatæ. Corollæ vix 1‴ longæ. Pappus albus, circiter $\frac{1}{4}$‴ metiens.

Gnephosis arachnoidea, quæ ab amico Sonder ad Nematopodum effusum trahitur, secundum adnotationes Turczaninowii pappo vero gaudet. Hæc planta botanici Rossici sicut G. macrocephala interea ad Cyathopappum traho. Angianthus brachypappus transitum a suo genere ad Gnephosin reddit facillimum.

Apocyneæ.

Parsonsia diaphanophleba.

Foliis elongato- v. angusto-lanceolatis basi acutiusculis sursum longe angustatis utrinque parce puberulis, cymis compositis subvelutinis, pedicellis longitudinem calycis vix excedentibus, calycis dentibus tubo saltem æquilongis semilanceolato-deltoideis eglandulosis, corollæ calycem conspicue superantis ultra medium quinquefidæ laciniis angusto-semilanceolatis intus tricarinatis, tubo intus dense sericeo-pubescente, *filamentis brevissimis*, lobis posticis antherarum parallelis basi truncatis et divergentibus, stylo brevi glabro, squamis hypogynis brevissimis orbicularibus, germine tomentello, coma seminibus elongatis æquilonga v. breviore.

In virgultis ad flumen Murray Australiæ occidentalis. A. Oldfield; W. J. Clarke.

Stirps aspectu Lyonsiæ stramineæ. Ramuli teretiusculi, puberuli. Folia subherbacea, semipedalia v. breviora, $\frac{1}{3}$–1″ lata, venis diaphanis pulchre reticulata, petiolo unciali v. breviore prædita, subtus pallidiora. Pedunculus primarius 1–3″ longus; secundarii pollicares v. vario gradu breviores. Bracteæ et bracteolæ ad basin pedunculorum specialium et pedicellorum nunc semilanceolatæ, nunc deltoideæ, nunc fere subulatæ, sæpe $\frac{1}{2}$‴ longæ. Calyx 1‴ metiens, intus fere glaber. Corolla vix ultra 2‴ longa; laciniæ supra parce pilosæ, æstivatione valvatæ; carinæ laterales lacinias marginantes ante earum apicem subito desinentes et in apiculum excurrentes. Antheræ 1‴ vix excedentes. Stylus obverse subulatus, $\frac{2}{3}$‴ longus. Stigma basi annulatum. Glandulæ hypogynæ subrotundæ, $\frac{1}{2}$‴ circiter longæ. Capsula leniter compressa, cylin-

dracea, 3–4″ longa, prope medium circiter $\frac{1}{3}$″ lata, in basin lenius quam in apicem subulatum attenuata, septo spurio e marginibus folliculorum orto bilocularis. Columna centralis utrinque tenerrime bialata, alis septo separatis. Semina $\frac{1}{2}$–$\frac{3}{4}$″ longa, squalide fusca, 1‴ lata, in basin et apicem acutata, glabra. Coma dilute fulvida, $\frac{1}{4}$–$\frac{1}{2}$″ longa.

Parsonsia eucalyptophylla.

Foliis longiuscule petiolatis prælongis angusto- v. lineari-lanceolatis e basi acutiuscula sensim sursum angustatis parum puberulis, cymæ ramis primariis binis, secundariis ternatim v. quaternatim congestis conspicuis umbelliferis, pedicellis calyci æquilongis v. eodem longioribus, umbellis plurifloris, *calycis dentibus tubo brevioribus esquamatis, corolla profunde quinquepartita* calycem longe superante, laciniis lanceolato-linearibus apice indistincte tricarinatis supra glabris luteis, fauce barbata, *filamentis puberulis cono antherarum longioribus* apicem versus contortis, lobis posticis antherarum convergentibus obtusiusculis, stylo longiusculo cum germine glabro, squamis hypogynis semiellipticis.

In virgultis planitierum (Brigalow Scrub dictis) et in montibus dumosis prope tractum Peak Range, flumina Suttor, Dawson et Mackenzie, F. M. ; prope oppidum Warwick et in montibus Barrier Range. Dr. Beckler.

Planta alte scandens. Ramuli teretes, subtiliter velutini. Folia subherbacea, semipede utplurimum paulo longiora et breviora, $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}$″ lata, petiolo unciali v. breviore prædita, basi paulo apice longe acutata, utrinque opaca v. supra nitidula et tunc saturatius viridia, venis sæpius pellucentibus percursa. Pedunculi primarii sæpe pollicares. Umbellæ cum pedunculis extus tenuiter velutinæ. Bracteolæ ad basin pedicellorum unam v. paucas lineas metientium sitæ, lineari- v. deltoideo-semilanceolatæ, circiter $\frac{1}{2}$‴ longæ, deciduæ. Calyx subcampanulatus, circiter $1\frac{1}{2}$‴ longus, ad trientem in dentes semilanceolatos fissus. Corolla circiter 4‴ longa; laciniæ æstivatione valvatæ, intus saturatius pallidiusve luteæ, faucem versus tenuiter barbatæ, juxta apicem lenissime marginatæ. Filamenta tubo corollæ brevissimo inserta, revolutis ejus laciniis emergentia, pæne 3‴ longa, Conus antherarum ut in congeneribus flavus, fere $1\frac{1}{2}$‴ longus. Stylus glaber, capillaris, longitudine filamentorum. Stigma $\frac{1}{2}$‴ longum, conicum, basi annulatum. Squamæ hypogynæ fere $\frac{1}{2}$‴ longæ, flavidæ. Capsula latet.

Lyonsiæ et Parsonsiæ notas differentiales carpologicas jam prius divulgavi (in Report on Plants of the Burdekin Expedition, p. 16). Parsonsiæ subgenus, Gastranthus (Conf. Transact. Phil. Inst. Vict. ii. 70) in proprium genus statui possit, etsi fructum characteribus illius Parsonsiarum omnino idoneum reperimus. Notis autem loco citato expositis addatur : Antheræ dorso acutæ. Hæc planta

sequentem sæpius comitatur. Parsonsiæ velutinæ servavi specimina ad rivos Hastings, Clarence, Pine River et Brisbane River collecta. Hæc floribus quam in P. eucalyptophylla conspicue minoribus, inflorescentia compacta, foliis latioribus, filamentis multoties brevioribus, antherarum lobis basalibus divergentibus aliisque notis cognoscitur. Parsonsia heterophylla jam foliorum forma, lobis corollæ imberbibus brevioribus æstivatione leniter contortis a L. eucalyptophylla distat. Parsonsiam mollem a præeuntibus eximie diversam habuimus non solum e variis Australiæ orientalis calidioris locis, sed etiam e tractu frigidiore Novæ Angliæ.

Verbenaceæ.

Eremophila densifolia.

Ramulis parce tomentellis, *foliis parvis confertis alternis angusto- v. lineari-lanceolatis acutis sessilibus* integerrimis glabris leniter canaliculatis, floribus axillaribus solitariis sessilibus, calycis parvi segmentis lanceolato-subulatis imperfecte puberulis corolla fere triplo brevioribus, *corolla cærulea extus glabra* basi breviter cylindracea, lobo infimo semi-ovato lateralibus semilanceolatis æquilongo inferne cum fauce lanuginoso-barbato, lobis corollæ superioribus breviusculis parum acutis, staminibus longioribus breviter exsertis, *germine velutino.*

In regionibus aridis juxta sinum Stokes Inlet. Maxw.

Folia pleraque $\frac{1}{3}$-$\frac{2}{3}''$ longa, circiter $1'''$ lata. Calyces $2'''$ longi, foliis occulti, pilis albis ramosis parce vestiti. Corolla exsiccatione pallens; lobi labii inferioris lineam paulo excedentes; barba alba. Antheræ $\frac{1}{2}'''$ metientes. Stylus fere glaberrimus. Drupa nondum reperta.

Species inter E. Woollsianam et E. Behrii inserenda. Illius specimina angustifolia e vicinia portus Gregorii et fluminis Murchison attulit amicus Oldfield.

Dicrastylis parvifolia.

Tomenta tenui cinerascens, *foliis parvis oblongo-linearibus* margine paulo revolutis, paniculis terminalibus dense corymbosis, corolla majuscula bilabiata, lobo labii inferi medio ceteris conspicue majore, *styli ramis elongatis exsertis.*

Ad flumen East River juxta sinum Stokes Inlet. Maxw.

Frutex 1–2′, erectus. Folia $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}''$ longa, $\frac{2}{3}$–$1\frac{1}{3}'''$ lata. Calyx albo-tomentosus, fere $1'''$ longus. Corolla exsiccatione saltem albida; lobus infimus orbiculari-obovatus, fere $1'''$ longus. Stamina 5, exserta. Styli profunde bifidi basis tomentosa; rami fere $1'''$ longi, glabri, capillares. Fructus ignotus.

Pithyrodia myriantha est hujus generis species, et forsan eadem ac Dicrastylis fulva (J. Dr. in Kew Miscell. vii. 56). Corollam satis inæqualiter lobatam bilabiatam vidi.

Solaneæ.

Solanum nemophilum.

Suffruticosum, erectiusculum, *inerme, undique dense tomentosum*, petiolis folio aliquoties brevioribus cum caule ramisque teretibus, *foliis lanceolato- vel cordato-ovatis integerrimis* subtus parum pallidioribus, axillis aphyllis, pedicellis axillaribus solitariis vel gemmis calyce parum longioribus, calycis 5 partiti laciniis angusto-oblongis obtusis, corollæ violaceæ extus tomentellæ laciniis acuminatis, filamentis brevibus, antheris luteis sensim apice attenuatis, stylo recto, *baccis ovatis rubris* succulentis.

In silvis Eucalypti crebræ (Ironbark forest) collium inter flumen Mackenzie et Dawson.

Suffrutex paucipedalis vel humilior, distanti-ramosus. Folia 1–2″ longa, basi sæpe obliqua, apice obtusa. Pedicelli 3–8‴ longi. Calycis laciniæ sub anthesi 2‴ postea 3–4‴ longæ. Corolla 4–5‴ longa. Antheræ vix 2‴ metientes. Stylus albidus. Stigma viride, capitatum, emarginatum. Baccæ utplurimum semunciales. Semina livida, circiter 1‴ longa, oblique reniformia, compressa, subtilissime reticulato-rugulosa.

Solanum Oldfieldii.

Fruticulosum, ferrugineo- v. cano-velutinum, ramis inermibus v. sæpius parce et breviter aculeatis, *foliis breviter petiolatis sub-ovatis inermibus* basi subcordatis v. rotundatis margine repandis, cymis terminalibus lateralibusque pauci- v. plurifloris, calycis dentibus inæqualibus semilanceolato-deltoideis tubo vix æquilongis, corolla purpurea v. cœrulea ex parte extus stellari-velutina, antheris longitudinem filamentorum conspicue excedentibus, *baccis globosis flavis* calycem patulum semisuperantibus carnosis.

In collibus tam calcariis quam sabulosis secundum rivum Murchison et sinum Champion Bay. Aug. Oldfield.

Planta 1–3′ alta. Folia utplurimum 1–2″ longa, passim supra calvescentia. Corolla majuscula. Antheræ $1\frac{1}{2}$‴ longæ, lineari-oblongatæ, sursum leniter attenuatæ, apice biporosæ. Baccæ biloculares, semipollicares. Semina squalide et pallide fusca, $\frac{2}{3}$‴ longa, reniformi-ovata, subtilissime rugulosa.

Solano lithophilo cognatum.

Solanum quadriloculatum.

Caule erecto suffruticoso elatiore cum foliorum pagina infera et racemis velutino tomentosis, aculeis rectis setaceo-subulatis glabris in caule et inflorescentia confertis in foliorum utraque pagina parcis, foliis ovato- vel lanceolato-cordatis integris acutis planis basi valde inæqualibus petiolo duplo triplove longioribus, racemis

plurifloris corymbosis demum elongatis, *calycis campanulati aculeatissimi dentibus tubo duplo brevioribus* antice triangularibus acuminatis, postice demum paulo angustatis, corollæ extus tomentellæ 5-fidæ laciniis ovatis, filamentis anthera multo brevioribus, stylo sublaterali incurvo stamina vix æquanti, *baccis depresso-globosis viridibus quadriloculatis calyce arcto fere omnino inclusis*, seminibus parvis fuscis.

Ad ripas arenosas fluvii Nicholson, sinus Carpentaria Gulf; in montibus Sea Range terræ Arnhemicæ.

Suffrutex pauci-pluripedalis. Caulis cum petiolis pedunculisque teres, tomento cano-viridulo vestitus. Aculei inæquales, ad semunciam longi, patentissimi, flavescentes. Folia margine indistincte repanda, utplurimum 3–5″ longa, inferne $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}$″ lata, petiolo circiter duplo longiora. Pedunculi petiolum æquantes vel superantes. Pedicelli floriferi 2–4‴ longi. Calyx florifer circiter 3‴ metiens. Corolla semuncialis, basi tubulosa et glabra, abhinc violacea, raro 6-fida. Antheræ 5, raro 6, luteæ, 2–$2\frac{1}{2}$‴ longæ, sursum attenuatæ. Stylus cum filamentis albidus. Stigma viride, convexum. Bacca circiter semuncialis. Semina oblique orbiculari-ovata, compressa, circiter $\frac{3}{4}$‴ longa.

Ad flumen Victoriæ ejus ostium versus reperi speciem similem v. varietatem foliis utrinque tomentosis, calycibus minus aculeatis et longius dentatis diversam.

S. lithophilo proximum.

Solanum adenophorum.

Herbaceum, erectum, undique aculeis setaceis rectis armatum, *dense glanduloso-pubescens*, caule simpliciusculo terete, petiolis canaliculatis folio parum vel dimidio brevioribus *foliis ambitu ovatis sinuato-pinnatifidis* subtus vix pallidioribus, lobis subovatis undulatis repandis obtusis, corymbis racemisve axillaribus terminalibusque paucifloris, calycis laciniis semi-lanceolatis corolla vix duplo brevioribus armatis, *corollæ albæ inermis 5-partitæ laciniis angusto-lanceolatis extus tenui puberulis*, filamentis brevissimis, antheris flavis sensim apice attenuatis, stylo adscendente, *baccis globosis albidis.*

In collibus sterilioribus inter flumina Dawson et Mackenzie.

Herba perennis, semi-sesquipedalis, patentim pubescens. Aculei satis copiosi, castaneo-fusci, ad 5‴ longi, plerique autem breviores. Folia pleraque $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}$″ longa, basi interdum subcordata. Pedunculi $\frac{1}{2}$–3″ longi. Pedicelli 2–6‴ metientes, fructiferi longiores. Corollæ laciniæ 3–4‴ metientes. Antheræ circiter $2\frac{1}{2}$‴ longæ, basi obtusissimæ. Stylus albus demum corollam æquans. Stigma viride, leviter emarginatum. Bacca carnosa, vix semuncialis. Semina (vix matura) $\frac{2}{3}$‴ longa, subrotunda, albida, læviuscula.

Solanum semiarmatum.

Ramis confertissime aculeatis, foliis inermibus v. parce armatis sinuato-pinnatifidis sursum sensim acutatis supra parce puberulis virentibus subtus pallide stellari-tomentosis, *lobis acutis* integris v. repandis semilanceolatis v. latius triangularibus, racemis geminis ternisve longe pedunculatis pluri- v. multifloris, pedicellis demum elongatis calycibusque tomentoso-pubescentibus, calycis mediotenus fissi laciniis e lata basi sensim acuminatis, corolla cœrulea extus tomentosa calycem fere triplo superante, antheris filamento multo longioribus superne gradatim contractis, germine subgloboso.

Ad flumen Clarence River. Dr. Beckler.

Planta forsan fruticosa. Aculei castaneo-fulvi. Folia imprimis inferiora longe petiolata, pleraque 3–4″ longa, 2–3″ lata. Panicula e racemis sæpe corymbiformibus constans, largiflorens. Pedicelli demum $\frac{1}{2}$–1″ longi et deflexi. Calyx circiter 3‴ longus. Corolla saltem ad medium lobata. Antheræ aureæ, 2‴ longæ, apice biporosæ. Stylus stamina superans. Bacca junior sphæroidea, matura nondum nota.

Solanum carduiforme.

Aculeis copiosis undique dense armatum, caule herbaceo erecto humiliore terete cum petiolo pudunculisque tomentoso, *foliis sinuato-pinnatipartitis* ambitu lanceolatis petiolo pluries longioribus basi inæqualibus utrinque tenuissime tomentosis subtus vix pallidioribus, lobis subovatis integris obtusis, corymbis plurifloris lateralibus longiuscule pedunculatis, *calycis octocostati aculeatissimi dentibus acuminatis*, corollæ violaceæ extus tenuissime tomentellæ 5-fidæ laciniis subrotundis mucronulatis, filamentis anthera triplo brevioribus, *baccis globosis viridibus calyce inclusis*, seminibus parvis fuscis nigrescentibus reticulatis.

Ad ripas arenosas et rupestres fluvii Nicholson, sinus Carpentaria Gulf.

Herba 1–3′ alta. Tomentum caulis pallidum. Petioli teretiusculi. Folia pleraque 2–3″ longa, obtusa, dilute viridia, lobis utrinque lateris pluribus fere alternis, terminali lateralibus longiore. Aculei straminei, valde inæquales, ad 4‴ longi. Calyces floriferi vix 3‴ longi, pedicellum æquantes, secus costas densissime aculeati. Corolla semuncialis. Antheræ luteæ 2‴ longæ. Stamina 5, rarius 4 vel 6. Bacca globosa, $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}$ pollicaris, bilocularis, placentis crassis bilobis. Semina renato-ovata, compressa, 1‴ paulo breviora, subtilissime reticulata.

Solanum melanospermum.

Fruticosum, erectum, tomentosum, ramis calycibusque copiose aculeatis, foliis fere inermibus ambitu subovatis obtuse lobatis longe

petiolatis subtus pallidioribus, lobis foliorum integris, pedunculis lateralibus solitariis sæpe unifloris, *calycis fructiferi magni quinquepartiti lobis reflexis subovatis mucronatis rigidis* intus lucidis, *baccis magnis globosis flavis, seminibus majusculis nigris.*

Ad ripas fluminis Abel Tasman's River.

Frutex 3–4′ altus. Tomentum ramorum et superficiei foliorum cano-fuscum. Aculei setaceo-subulati, fulvi, 1–3‴ longi. Folia pleraque $1\frac{1}{2}$–3″ longa, basi pæne truncata. Flores ignoti. Calyx fructifer longitudine semunciam paulo excedens. Bacca biloculata, pollicaris, ut videtur exsucca. Semina fere $1\frac{1}{2}$‴ longa, compressa, ad marginem leniter tumida, subtilissime rugulosa.

Solanum elachophyllum.

Fruticosum, tomento tenuissimo appresso *subargenteo canescens,* aculeis rectis setaceis ad petiolorum basin oppositis ceteroquin secus ramos sparsis, *foliis parvis ovatis integerrimis* petiolo aliquoties longioribus inermibus ovatis supra parcius indutis viridibus, pedicellis axillaribus terminalibusque solitariis calyce parum vel duplo longioribus, calycis breviter 5-fidi inermis corolla fere triplo brevioris dentibus deltoideis subacuminatis, corollæ violaceæ 5-partitæ laciniis angusto-lanceolatis extus lepidoto-tomentellis, filamentis brevissimis, antheris luteis sensim apice attenuatis, *baccis ex albo et viridi variegatis* ovato-globosis calycem vix mutatum longe superantibus, seminibus albidis læviusculis.

In virgultis prope flumina Mackenzie et Dawson.

Frutex paucipedalis, ramis tenuibus. Folia pleraque 3–5‴ longa, ea quorundam Phebaliorum simulantia, obtusissima vel obtuse acuminata. Aculei castaneo-fusci, ad 4‴ longi. Calyces 2‴ longi. Corolla 3‴ longa. Antheræ vix 2‴ metientes, subrostratæ. Baccæ semunciales. Semina reniformi-ovata, 1‴ paulo excedentia.

Solanum leptophyllum.

Fruticosum, copiose aculeatum, ramulis tenui-tomentosis, *foliis angusto-subhastatis* passim oblongatis supra glabris subtus parce rarius dense puberulis, pedicellis gracilibus nunc in umbellam sessilem v. breviter pedunculatam congestis nunc geminis vel solitariis, corolla calycem parvum acute dentatum pluries superante profunde quinquefida extus pilis stellaribus obsita, antheris filamento multo longioribus, *baccis parvis rubris oligospermis* succulentis globosis calycem appressum bis terve superantibus, seminibus majusculis, testa fusca reticulata.

In locis aridis collinis; e.g. ad flumina Mackenzie et Suttor, F.M.; ad rivum Castlereagh, Bowman; ad oppidulum Warwick et in montibus Barrier Range, Beckler; ad montem Murchison, Dallachy.

Frutex gracile ramosus. Aculei aciculares, sæpe 2–3‴ longi. Folia herbacea, 1–2‴ longa, 3–4″ lata. Calyx 1½‴ longus. Corolla forsan alba. Antheræ luteæ, circiter 1½‴ longæ, sursum conspicue attenuatæ. Baccæ pisi magnitudine. Semina turgidula, fere 1½‴ longa, ovato- v. orbiculari-renata. Plantam, quantum e descriptionibus oblatis judico, tum a S. furfuraceo tum a S. amblymero diversam censeo. Accedit quoque ad S. elachophyllum.

Solanum chenopodinum.

Caule fruticoso erecto aculeis subulatis parce v. parcissime armato, *foliis rhombeo- v. oblongo-hastatis* repandis inermibus supra puberulis subtus cum ramis petiolis pedunculisque tenuiter cano-velutinis, cymis corymbiformibus pauci- v. pluri-floris breviuscule pedunculatis, calycis dentibus deltoideis tubo subæquilongis, corolla cœrulea extus tomentella calycem aliquoties superante, antheris filamento pluries longioribus, *bacca parva coccinea globosa oligosperma* v. passim monosperma succulenta vix loculata calycem leviter appressum bis terve superante, *seminibus magnis flavis lævibus* late renatis.

In locis arenoso-petræis ad flumen Darling et in montibus Barrier Range, Beckler ; ad montem Murchison, Dallachy ; ad rivum Stuart's Creek, J. Macd. Stuart.

Frutex 2–3′. Rami teretes, canescentes. Folia conspicue petiolata, herbacea, raro et tunc parcissime aculeata, utplurimum 1–2″ longa, prope basin sæpius inæqualem in lobos 2 rarius 4 breves obtusos protracta. Pedunculus raro elongatus, passim obliteratus. Pedicelli calyce sæpius longiores. Calyx florifer circiter 1½‴ longus, fructifer duplo longior. Corollæ lobi satis longi, margine glabro alati. Antheræ luteæ, corollam saltem semiæquantes, sursum attenuatæ. Stylus sæpius abbreviatus. Baccæ magnitudine pisi majoris. Semina 10 v. pauciora, valde compressa, 1½‴ longa.

S. discolor, fide descriptionis Dunalianæ (in Cand. Prodr. xiii. 293), pedunculis aculeatis et aliis notis levioris momenti differt.

Solanum tetrathecum.

Caule erecto fruticoso superne dissite aculeato, *foliis longe et anguste lanceolato-oblongis* integris rarius ovato-oblongis rarissime breviter pinnatilobis inermibus v. parcissime aculeatis supra glabriusculis subtus tomento fulvido-cinerascente tenuissime indutis, corymbis paucifloris breviter pedunculatis, calycis subcampanulati costati dentibus tubo brevioribus v. ei æquilongis, corolla magna cœrulea profunde 5-fida calycem bis terve superante extus tomentella, antheris filamento pluries longioribus, *baccis viridibus quadriloculatis albido-variegatis* globosis calycem laxum subæquantibus v. semisuperantibus.

In silvis Araucariarum ad flumina Brisbane, Pine River et Burnett River, F. M.; ad oppidulum Warwick, Beckler; ad pagum Tenterfield Novæ Angliæ, Stuart.

Frutex utplurimum 4–5′. Aculei aciculares, $1\frac{1}{2}$–3‴ longi. Folia pleraque $2\frac{1}{2}$–5″ longa, $\frac{1}{4}$–$\frac{3}{4}$″ raro ultra 1″ lata, apice acuta, basi inæqualiter obtusa, supra rugosa, subtus prominenter nervosa. Calyx 2–4‴ longus, pedicello æquilongo v. longiore impositus, demum inæqualiter ruptus. Corolla unciæ diametro. Antheræ luteæ, 2–$2\frac{1}{2}$‴ longæ. Bacca vix semuncialis, colore ejus S. Hystricis. Semina renato-ovata, circiter lineam metientia, livido-fusca, subtiliter rugulata.

S. violaceo nec non S. stelligero propinquum.

Solanum corifolium.

Fruticosum, inerme, *subscandens, foliis tenui-coriaceis* ovatis oblongis v. lanceolatis integerrimis v. repandis breviter petiolatis *supra saturate viridibus nitentibus glabris sublævibus* subtus ramulisque indumento appressissimo fulvo-cinereis, floribus subumbellatis, calyce costulato primum breviter demum profunde fisso parum accrescente, *corolla alba* profunde quinque-fida extus velutinella, antheris filamento aliquoties longioribus, *baccis viridi-albis* globosis imperfecte loculatis calycem longe superantibus.

In nemoribus Araucariarum circum sinum Moreton Bay.

Frutex altior. Folia $\frac{3}{4}$–$2\frac{1}{2}$″ longa, $\frac{1}{2}$–1″ lata. Pedunculi breviusculi, passim nulli. Pedicelli fructiferi sæpe semunciales, sursum incrassati. Calyx florifer $1\frac{1}{2}$‴ longus. Corolla circiter 4‴ longa. Antheræ fere 2″ longæ. Stylus stamina paulo excedens. Stigma emarginatum. Bacca circiter 4‴ metiens. Semina numerosa, vix ultra 1‴ longa.

Solano tetratheco finitimum.

Aristolochieæ.

Aristolochia prævenosa.

Fruticosa, scandens, ramis teretiusculis exsulcis primum pubescenti-tomentosis demum glabris, *foliis* tenui-coriaceis ovato- v. oblongo-lanceolatis v. ovatis acuminatis integerrimis v. repandulis basi rotundatis v. subcordatis *utrinque nitentibus et prominenter reticulari-venosis* subtus præter nervos parcissime strigulosis supra glabris, capsulis ovato-globosis, *valvis ecarinatis*, seminibus compressis subcordatis sordide canescentibus margine planis.

Ad flumen Clarence in locis silvaticis. Dr. H. Beckler.

Species alte scandens. Folia sæpe $2\frac{1}{2}$–5″ longa, rarius longitudine ad 8″ extensa, $1\frac{1}{2}$–2″ lata, concoloria, petiolo $\frac{1}{3}$–1″ longo prædita. Flores nondum noti. Capsulæ 1″ longæ, extus punctatæ et minutim reticulatæ. Semina 2‴ longa, compressa, verruculis confluentibus rugata.

Aristolochia Thozetii.

Herbacea, subglabra, procumbens, ramulis angulatis sulcatis, *foliis e basi divaricato-biloba lato-linearibus* et indivisis, lobis basalibus ferme spathulatis intermedio multoties brevioribus, pedunculis brevibus axillaribus, fructiferis solitariis, capsulis globoso-ovatis in acumen brevissimum et stipitem longiusculum protractis, valvis costa prominente carinatis subtilissime venosis, seminibus cordato-deltoideis nigrescentibus punctato-asperulis reflexo-marginatis.

Prope oppidum Rockhampton. Thozet.

Herba spithamæa. Radix flexuosa, filiformis, simplex. Petioli circiter semunciales. Folia quasi hastato-linearia, 3–6″ longa. Lobi basales 2–4‴ longi, medius $1\frac{1}{2}$–3″ longus. Fructus fere pollicis longitudine, valvis extra costas lævibus. Semina circiter $1\frac{1}{2}$‴ metientia.

Stirps notis specificis Aristolochiam Indicam præsertim quoad fructus structuram et formam tangit, figura autem foliorum satis diversa apparet. Vergit etiam ad A. puberulam, fide notarum brevium prodromi flor. Nov. Holl. p. 349.

Orchideæ.

Ledgeria aphylla.

F. M. Fragm. Phytogr. Austr. i. 239; Erythrorchis aphylla, F. M. coll.

Ramis ad basin squama suffultis, bracteolis ovato-lanceolatis germine bis v. aliquoties brevioribus, *labello* obcordato-orbiculari apice crispato axi incrassato medium versus bicarinato inferne barbellato *apice in callum tenuissime barbatum turgente alibi supra lævi.*

Ad flumen Hastings et in insula Moreton Island super rupes arboresve scandens.

Flores iis speciei sequentis minores.

Ledgeria foliata.

Erythrorchis foliata, F. M. coll.

Foliis ad basin ramorum semilanceolatis acuminatis superioribus bracteiformibus, bracteolis deltoideis germine multoties brevioribus, floribus majusculis, *labello* rhombeo-orbiculari supra medium crispato secus axin inferne bicarinatum et apicem versus cylindraceo-incrassatum lævi alibi *supra papilloso.*

In arboribus ad flumen Pine River Australiæ orientalis calidioris. Eug. Fitzalan.

Caules ramosi, sat validi. Radices e nodis caulium simplices, solitariæ, filiformes, folio oppositæ. Folia inferiora ignota, superiora coriacea, basi ramos caulesve semiamplexantia, apice acuminata,

1–2½″ longa, summa in bracteas transientia. Inflorescentia alternatim et patentim ramosa, spicis brevibus racemiformibus paniculam constituens. Bracteæ ad basin pedunculorum secundariorum semilanceolatæ, sensim acutatæ, semiunciales v. breviores. Flores secus apicem pedunculorum specialium ⅔–2″ metientium racemoso-conferti, bracteolis triangularibus lineam vix excedentibus suffulti, cum germine articulati. Sepala et petala ½–1″ longa, plana, acutiuscula, flava et roseo-tincta (" deep rose-colored markings on a primrose ground" dicit inventor), subtiliter plurinervia, nervo mediano paulo fortiore ; illa subcuneato- v. lanceolato-oblonga, 2–3‴ lata. Petala anguste lanceolato-oblonga, vix 1½‴ lata. Labellum liberum, sessile, leviter concurvum, ecalcaratum, subtus glabrum et læve, supra papillis sursum magnitudine auctis notatum ; axis medio paulo crispatus. Columna dimidium labelli æquans, leniter incurva, clavato-cylindracea, aptera. Anthera terminalis, opercularis, imperfecte biloculata ; lamina opercularis subrotunda, emarginata, quasi breviter bidentata, fere 1‴ metiens. Pollinia duo, pulveracea, bipartita, nec in massas revera distinctas et cohærentes secta. Germina cylindracea, ½–1″ longa. Fructum ignosco.

Ledgeriam, notis per secundam hancce speciem amplius scrutatis, in viciniam Vanillæ traho ; aliquotenus habitu convenit cum Vanilla aphylla, sed recedit saltem a genuinis Vanillæ speciebus labello a calumna disjuncto, qua nota ad Cyrtosiam et Erythrochidem arctius approximat. Pollinia Erythrorchidis (fide pulchræ iconis Rumphiæ, t. 70) sunt ejusdem forma, quam ea Ledgeriæ. Investigatio autem capsulæ vel validitatem vel levitatem generis olim probabit.

Fasciculus XVI. editus idib. Maj. 1861.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

ADDITAMENTA AD VOLUMEN SECUNDUM.

Myrtaceæ.

Genethyllis pimeloides.

Erecta, glabra, foliis ovalibus oblongisve sessilibus oppositis glaucescentibus margine indistincte cartilagineo-crenulatis subtus pallidioribus, capitulis terminalibus simplicibus quadrifloris demum nutantibus, *bracteis quaternis carinulatis ovatis integerrimis ex parte flavo-rubicundis flores superantibus stylo saltem duplo brevioribus*, bracteolis late-ovatis obtusis decoloribus integerrimis calyce paulo longioribus, calycis lobis semiovatis petala cordato-ovata vix semiæquantibus quibuscum albis integerrimis, staminodiis subspathulatis flavis filamenta filiformia subæquantibus, stylo elongato luteo apicem aurantiacum versus parum puberulo, germine bi- v. trigemmulato, calyce fructificante quinquecostulato basin versus punctato-plicatulo.

In locis granitico-rupestribus prope Hampden et Yardup, Australiæ occidentalis ; Oldfield. Ad flumen Salt River, Maxw.

Frutex 3–6′ altus, aspectu quarumdam Pimelearum, odorem aromaticum spargens. Ramuli ad foliorum insertionem dentato-dilatati. Folia $\frac{1}{2}$–1″ longa, $1\frac{1}{2}$–4‴ lata, ætate secus marginem revoluta. Involucri foliola $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}$″ longa, apicem versus viridescentia. Petala primum $1\frac{1}{2}$‴ demum 2‴ longa. Stylus 6–10‴ longus. Fructus extus fuscescens.

Species G. macrostegiæ (Turcz. Bullet. Mosc. xxii. 2, 17 ; G. tulipiferæ, Hook. Bot. Mag. t. 4858) et G. Hookerianæ (Meisn. in Proceed. Linn. Soc. i. 37 ; Kipp. eodem loco, p. 50–53, G. macrostegiæ, Hook. Bot. Mag. t. 4860) finitima, sed jam prima fronte ob involucrum conspicue minus et stylum longe emersum divellitur.

Salsolaceæ.

Anisacantha lanicuspis.

Humilis, foliis confertis linearibus acutis carnulentis primum sericeo-pubescentibus demum glabrescentibus, *spinis duabus fructu paulo longioribus quocum sericeo-lanuginosis.*

In planitiebus aridis paulo salinis secus montes Barrier Range. Dr. Beckler legit in expeditione Victoriana.

Fruticulus pluripollicaris, erectus. Folia sæpius semipollice breviora quam longiora. Spinæ fructus $1\frac{1}{2}$–$2'''$ longæ, æque ac calycis tubus vestimento albo obductæ.

Similem nisi eamdem speciem collegi in Australia boreali-occidentali prope Sturt's Creek.

Anisacantha gracilicuspis.

Lanato-tomentosa, *foliis planis l'anceolato-linearibus* mox remotiusculis, spinis 5 setaceo-subulatis præter basin glabris, tribus longitudinem calycis florentis insigniter superantibus, duabus eodem parum longioribus.

In planitiebus basalticis ad flumen Mackenzie juxta circulum capricornu.

Frutex paucipedalis. Folia $\frac{1}{2}$–$1''$ longa, 1–$1\frac{1}{2}'''$ lata. Aristæ longiores 3–$4'''$, breviores 1–$1\frac{1}{2}'''$ mētientes.

A. quinquecuspidi approximanda.

Proteaceæ.

Telopea oreades.

F. M. Sixth Syst. Index of the Plants of Victoria, p. 18.

Ramulis glabris, *foliis* elongatis obovato-lanceolatis acutis longe in petiolum decurrentibus tenuiter et dissite penniveniis *tenuissime venulosis integerrimis, bracteis extus glabris* corymbo brevioribus, rachi breviuscula, pedicellis bracteolas lineari-semilanceolatas paulo aut vix duplo superantibus viridulis apice parum dilatatis, calycibus purpurascentibus, inferioribus pedicello fere triente brevioribus, *glandula hypogyna valde producta* fere quadrata antice erosa, seminum ala nervo gradatim adscendente percursa.

Ad originem amnis Nungatta Creek in tergo alpestri tractus Nungatta mountains. Weatherhead. F. Mueller.

Species congeneribus quidem arcte connexa, sed quantum e brevi speciminum exsiccatorum serie eruere potui specifica distinctione digna est. Differt enim T. speciosissima a T. oreade foliorum dentatione et obtusiore apice, splendore superficiei magis manifesto, rete venarum et venularum densiore et evidenter prominente, bracteis et rachi corymbi longioribus, bracteolis contra brevioribus deltoideis v. semilanceolatis longitudine pedicellorum inferiorum multoties superatis, pedicellis rubris, calycibus coccineis,

præprimis etiam glandula hypogyna perbrevi circum apicem pedicelli oblique et ample truncatum in formam cymbeo-ovalem extensa, capsulis paulo majoribus, denique seminum ala nervo pæne rectangulo percursa.

T. truncata videtur discriminanda ramulis et involucri squamis velutino-tomentosis, foliis floribusque sæpe minoribus, bracteis brevioribus, pedicellis superioribus longioribus, calycibus læte rubris, glandula hypogyna breviore etiamsi eidem T. oreadis sat conformi. Vidi autem T. truncatæ specimina regionibus præhumidis juxta Southport enata, quæ folia ostendunt semipedalia arbore 30-pedali producta apicem versus passim irregulariter dentata. T. oreades igitur proximius stat T. truncatæ quam T. speciosissimæ, et prioris varietatibus dum melius cognitis forsan adnumeranda erit.

Cadellia.—p. 25.

Illustris Planchon hoc genus in viciniam Limnanthæ Surianæ et Biebersteiniæ posuit.

Cadellia pentastylis.—p. 26.

Cortex transverse et longitudinaliter rimosus, solidus, nigrescens. Alburnum rubellum. Lignum pallidum. Folia ad unciam lata. Pedunculi passim terminales et paniculato-pluriflori.

Backhousia sciadophora.—p. 26.

Prope urbem Rockhampton ; Thozet.

Eucalyptus calophylla.—p. 36.

Fructus nonnunquam leniter costati. Semina passim valde compressa, passim truncata. Folia propaginum e trunco oriundarum alterna, lanceolata ; ea plantæ seminalis hornotinæ exceptis imis oppositis alterna, aspera, mox glabrescentia, longiuscule v. modice petiolata, ovato-lanceolata, petiolo supra-basali insigniter peltata.

Eucalyptus robusta.—p. 44.

E. hemilampræ non dissimilis, quæ autem sectioni Leiophloiarum pertinet, et calycibus foliis angustioribus fructibusque differt.

Eucalyptus gigantea.—p. 44.

Folia stirpis hornotinæ seminalis ima opposita ; cetera mox alternantia, oblique ovato. Clar. Oldfield sine hesitatione ad E. giganteam trahit E. cordatam, eam illius statum juvenilem abnormem autumans. Amicissimus Rich. Kippist, me rogatus, nuperius Eucalyptos herbarii Smithii et Banksii perlustravit et inter eas collectionis Banksianæ, ut autesumsi, stirpem *a Nelsonio, tertii itineris Cookii adjuncto,* in Tasmania (haud dubie juxta Adventure Bay) collectam et iconi E. obliquæ a l'Heritier divulgatæ

prorsus respondentem notavit. Descriptiones quarumdam Eucalyptorum juxta specimina authentica a sagace Kippist elaboratas huc phrasibus passim paululum mutatis libenter publici juris reddo.

Eucalyptus obliqua.

L'Herit. Sert. Angl. 18. Lam. Encycl. Meth. t. 422.

Ramulis teretibus *verruculosis*, foliis modice petiolatis ovato-lanceolatis curvatis coriaceis imperforatis concoloribus basi valde obliquis apice in acumen uncinatum sensim angustatis, *venis paucis angulo valde acuto divergentibus* reticulatis, vena peripherica a margine paulo incrassato remota, umbellis 3–7-floris lateralibus v. rarissime axillaribus nec terminalibus, pedunculo terete fere longitudine petioli, tubo calycis parvi obconico ad orificium vix contracto in pedicellum teretem subæquilongum desinente longitudinem operculi hemisphærici mucronulati duplo excedente, fructibus obconicis lævibus quadriloculatis ore crassiusculis, valvis profunde inclusis.

Ad sinum Adventure Bay Tasmaniæ legit anno 1773 Nelson sub tertio celebris Cookii itinere. Cl. Kippist in herb. Banksii speciem recognovit.

Eucalyptus pilularis.

Sm. in Transact. Linn. Soc. iii. 284, non D. C.

Ramulis angulatis, foliis alternis breviuscule petiolatis anguste falcato-lanceolatis acuminatis subcoriaceis vix perforatis tenuiter penniveniis basi oblique attenuatis, vena peripherica a margine remota, umbellis 7–9-floris axillaribus lateralibusque vel quandoque in racemos aphyllos terminales dispositis, pedunculis ancipitibus petiolos subæquantibus, pedicellis brevibus angulatis, operculo conico medium versus constricto tubum calycis urceolatum longitudine latitudineque fere æquante, *capsula subglobosa* truncata lævi breviter pedicellata sæpius quadriloculata, valvis brevissime exsertis.

In vicinia portus Jackson. White, 1794.

Eucalyptus resinifera.

Sm. in White's Voy. 231, t. 25.

Arborea, ramulis teretiusculis gracilibus, *foliis* alternis longiuscule petiolatis lato- v. ovato-lanceolatis lenissime curvatis basi oblique subattenuatis apice longe acuminatis subtiliter reticulato-venosis pellucide punctatis *subtus pallidioribus*, vena peripherica a margine parum remota, umbellis 7–11-floris axillaribus solitariis, pedunculo generali pæne unciali apicem versus paulum compresso petiolum æquante v. parum superante pedunculis partialibus teretiusculis fere triplo longiore, calycis tubo semiovato v. pæne hemisphærico longitudinem operculi subulati et pedicelli fere semiæquante, stylo ultra stamina subaurantiaca exserto.

In vicinia portus Jackson.

Specimen herbarii Smithii cultum e horto Paddingtoniano Dominæ Cliffort. 1804.

Arbor secundum adnotationes Whitii excelsior. Lignum fragile, resinosum.

Eucalyptus capitellata.

Sm. in White's Voyage, 216.

Ramulis validis angulatis fere tetragonis, foliis alternis modice petiolatis coriaceis concoloribus nitentibus ovato-lanceolatis subfalcatis basi valde obliquis apice attenuatis sparse punctatis imperforatis, venis primariis prominulis angulo acuto divergentibus, peripherica a margine remotiuscula, *capitulis axillaribus lateralibusque solitariis*, pedunculis compressis subuncialibus petiolos subæquantibus v. quandoque paulo superantibus, calycibus parvis rhombeo-prismaticis subcompressis pedunculo bis terve brevioribus, pedicellis nullis, calycis tubo operculum conicum angulato-compressum subæquante.

In vicinitate portus Jackson. White, 1793.

Eucalyptus saligna.

Sm. in Transact. Linn. Soc. iii. 285.

Ramulis gracilibus acute angulatis mox teretiusculis, *foliis* alternis modice petiolatis *vix coriaceis discoloribus pellucide punctatis semiglaucescentibus* lanceolatis v. lineari-lanceolatis leniter curvatis apice acuminatis basi oblique subattenuatis præpatentim penniveniis, vena peripherica margini approximata, umbellis 5–7-floris axillaribus v. lateralibus, *pedunculis compressis subcuneatis* petiolo fere duplo brevioribus, floribus sessilibus v. in pedicellum crassum brevissimum sensim desinentibus, operculo alabastri acute conico subancipte tubum calycis compressum demum campanulato-obconicum ore tenui dilatatum v. subrevolutum subæquante vel eodem paulo breviore, fructus immaturi valvis parum exsertis.

Prope sinum Port Jackson. White, 1794.

Eucalyptus piperita.

Sm. in Transact. Linn. Soc. iii. 206.

Ramulis angulatis mox teretibus, foliis longiuscule petiolatis lato-lanceolatis curvatis subcoriaceis vix perforatis basi inæqualibus apice longe attenuatis in acumen uncinatum productis, umbellis 3–9-floris lateralibus simplicibus v. paniculato-racemosis, pedunculis angustis paulo compressis, pedicellis angulatis, *tubo calycis parvi obconico* pedicellum subæquante, operculo conico-hemiphærico apice mucronato, *stylo elongato gracili* stamina subæquante, stigmate vix capitato.

Circum portum Jackson. White, 1793.

Eucalyptus paniculata.

Sm. in Transact. Linn. Soc. iii. 287 (non D. C.).

Ramulis angulatis mox teretibus, *foliis* alternis breviuscule petiolatis *vix coriaceis fere imperforatis penniveniis* lanceolatis v. falcato-lanceolatis basi acutis subobliquis apice curvato-acuminatis, vena peripherica margini approximata, *umbellis* 3–4-*floris in paniculam v. racemum terminalem dispositis*, pedunculis fere semuncialibus pedicellisque angulatis, calycis tubo obconico v. obpyramidato ad orificium contracto longitudinem operculi hemisphærici fere duplo excedente ac ejusdem latitudem paulo superante in pedicellum subæquilongum gradatim desinente.

Ad portum Jackson. David Burton in herb. Banksii et Smithii.

Ab E. corymbosa differt foliis multo minoribus basi minus attenuatis, paniculis subcoarctatis minus ramosis, floribus multo minoribus, calycis tubo ad orificium contracto nec recurvato, pedicellis staminibusque duplo brevioribus.

Eucalyptus marginata.

Sm. in Transact. Linn. Soc. vi. 302.

Ramulis rubris angulatis inferne teretiusculis, *foliis alternis breviter petiolatis oblique ovatis chartaceis conspicue penniveniis discoloribus crebre punctatis margine revolutis* apice sensim acutatis basi subito contractis, nervo medio valde prominente, vena peripherica a margine paulo remota, umbellis 5–7-floris axillaribus, pedunculis tenuibus angulatis petiolos semiteretes sicut pedicellos longitudine duplo excedentibus, calycis tubo breviter obconico vel subcampanulato, margine ejusdem lato hiante, operculo alabastri fere conico tubum longitudine subæquante.

Ad sinum Port Jackson.

Exstat in herb. Smithii specimem anno 1798 in horto Kewensi cultum.

Eucalyptus stellulata.—p. 46.

Ad originem fluminis Macallister.

Eucalyptus corymbosa.—p. 46.

Extendit usque ad limites austro-orientales terræ Gipps Land. E. urnigera hinc ad E. corymbosam inde ad E. corynocalycem accedit.

Eucalyptus citriodora.—p. 47.

Stirpis seminalis hornotinæ asperæ folia alterna, oblongo-lanceolata, petiolo supra-basali peltata.

Eucalyptus Woollsii.—p. 48.

Regiones quam maxime orientales terræ Gipps Land intrat.

Eucalyptus botryoides.—p. 48.

Ad portum Jackson. White, 1794.

Cl. Kippist de hac specie in herbario Smithii observat: Folia in antiquo specimine asservato nunc fere concoloria, nihilominus supra solummodo nitentia. Petioli raro $\frac{3}{4}''$ longiores. Folia ad basin insigniter inæqualia. Umbellæ simplices, axillares, demum laterales, nec paniculatæ, nec terminales. Flores pedicellis destituti, pedunculo fere semiunciali donati. Operculum hemisphæricum, non acuminatum, vix apiculatum.

Eucalyptus hæmastoma.—p. 51.

Folia ad basin inæquilatera. Fructus ore fere sanguinei. Kippist.

Eucalyptus Leucoxylon.—p. 60.

Specimina quædam e Nova Anglia transmissa vidi glaucedine superfusa. Quæ autem arbores seriei Schizophloiarum cum E. Leucoxylone conjuxi nunc sub nomine E. siderophloiæ separo. Folia plantæ hornotinæ seminales opposita, ovato-cordata, glabra.

Bolbophyllum exiguum.—p. 72.

In rupibus muscosis ad flumen George River, æque ac prope oppidum Liverpool legit W. Woolls.

Cupania stipata.—p. 75.

Affinis C. Lessertiana (Cambess. in Mém. du Mus. d'Hist. Nat. xviii. tab. 3).

Ixiosporum.—p. 76.

Quoad florum structuram a Citriobato generice divelli nequit.

Elæocarpus grandis.—p. 81.

E. ganitro propinquus.

Geissois rubifolia.—p. 82.

G. ternata (As. Gray, in Wilk. U. S. Expl. Exped. p. 678, t. 86) longe differt.

Weinmannia paniculata.—p. 83.

Nomen in W. paniculosam mutandum erit, ne cum planta Cavanillesii homonyma e regno Chilensi confunderetur.

Ad flumen Hastings reperit Beckler.

Folia passim e foliolis 7 constant. Stipellæ subcoriaceæ, dimidiato- v. lineari-lanceolatæ, acutissimæ, $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}'''$ longæ, mox cadentes.

Panax cephalobotrys.—p. 83.

Petioli elongati. Petioluli laterales sæpe $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}''$ longi, medius circiter 1″ metiens.

Pseudalangium.—p. 84.

Rhytidandræ (Asa Gray, Bot. of U. S. Explor. Exped. 302, t. 28) combinandum.

Pseudalangium polyosmoides.—p. 84.

Nunc nomen fert Rhytidandra polyosmoides. Eam a R. Vitiensi (Asa Gray, Bot. of U. S. Explor. Exped. 303, t. 28) separamus propter petala 4–5, filamenta elongata etsi maxima ex parte adnata. Plantam haud Olacinearum membrum habeo, sed inter Alangiaceas retineo.

Eucalyptus ficifolia.—p. 85.

Folia stirpis seminalis hornotinæ glabra, alterna, ovato- v. cordato-lanceolata, acuta, petiolo exacte basali breviusculo vel modico prædita.

Petermannia.—p. 93.

Genus fortisan Smilacineis affinius, quam Dioscoreis.

Hodgsonia.—p. 95.

Nomen mutavi in Hodgsoniolam, quum (optime monente amico Hance) jam antea genus cucurbitaceum nomine etiam mihi adeo sacro celebratum.

Panax macrosciadeus.—p. 108.

Baccæ nonnunquam atropurpureæ et 8‴ longæ, passim abortu alterius loculi oblique ovato-globosa, semine tunc renato. Pericarpium succulentum. Semina lævia, oblique ovato- v. dimidiato-rotundata, 3–4$\frac{1}{2}'''$ longa, leviter turgentia.

Viscum incanum.—p. 109.

Simulat V. orbiculatum.

Goodenia cistifolia.—p. 110.

Quæ de G. barbata adnotationes habet Vriese (in Goodenovieis p. 145), eæ perfecte in G. cistifoliam quadrant. Ill. Brown quidem G. barbatam in seriem specierum flaviflorentum inseruit, forsan cum plantam non nisi statu sicco et decolore viderit. Notam autem de seminum forma eximiam non prætermisit. Capsulam recte descripsit cl. Vriese biloculatam, etiamsi septo abbreviato uniloculares apparet.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

ADDITAMENTA AD VOLUMEN PRIMUM.

Brachychiton discolor.—p. 1.

Cortex lævis.

Brachychiton luridum.—p. 1.

Folliculi magni, tomentosi, polyspermi, breviter stipati.

Brachychiton acerifolium.—p. 1.

Ad flumina Hastings, McLeay et Clarence River ; Dr. Beckler.

Argyrodendron.—p. 2.

Germina nonnunquam bigemmulata.

Argyrodendron trifoliolatum.—p. 2.

Ad flumen Clarence ; Wilcox et Beckler.

Folia stirpis junioris passim quinquefoliolata. Ala carpidiorum circiter unciam longa, pæne semiorbicularis.

Boronia filifolia.—p. 3.

In insula Kangaroo Island ; Waterhouse.

Acacia pravissima.—p. 5.

Ad flumen Tumut ; C. Ligar.

Acacia imbricata.—p. 5.

Pedunculi passim phyllodiis æquilongi. Capitula pluriflora, leniter fragrantia. Sepala lineari-spathulata, ciliolata, segmentis corollæ glabræ late lanceolatis semisuperata.

Pultenæa mucronata.—p. 8.

In montibus inter Nungatta et Bondi; Edw. Sharpe.

Bossiæa stenophylla.—p. 9.

Ad flumen Murray; Sereniss. Princeps Paulus Guilielmus. Ad montem Arapiles; Dallachy. Prope Tenterfield; Stuart.

Bracteolæ interdum apud medium pedicelli sitæ. Legumina longiuscule stipitata, ellipsoidea, paulo turgentia, glabra, pleio- v. oligosperma, $\frac{2}{3}$–1″ longa, intus glabra et lævia. Semina ellipsoidea, turgentia, circiter 2‴ longa, funiculo brevi appensa. Strophiolum rotundo-ovatum, carnulentum, vix 1‴ longum. Albumen nullum. Radicula brevissima, infera.

Melaleuca acuminata.—p. 15.

Ad flumen Wimmera; Dallachy.

Citrus Australasica.—p. 26.

Ad fluvium Clarence; Beckler.

Fructus ellipsoidei, 1–2″ longi, odore et sapore citreo præditi, 6-loculares, polyspermi. Semina pæne ovata v. globoso-ovata, 2–3‴ longa. Testa pallide flavida, lævis. Embryo amygdaloideus. Radicula brevissima, supera.

Achronychia Hillii.—p. 26.

Ad flumen Hunter's River; A. W. Scott. Ad fluvia McLeay, Hastings et Clarence River; Dr. Beckler.

Cortex cinereus, leviter rimosus. Flores racemosi.

A. Endlicherii proxima.

Acronychyia Cunninghami.—p. 27.

Ad flumina Richmond et Clarence River; Beckler et Wilcox.

Cortex fuscescens, rugulosus. Folia quandoque obtusiuscula.

Euodia neurococca.—p. 28.

Ad flumina Clarence et Richmond River; Beckler.

Lignum flavidulum. Cortex sulcatus v. saltem rugosus, fuscescens. Germina 4–5, raro 6.

Euodia erythrococca.—p. 28.

Arbor ad 60′ alta. Cortex ex albo et cinereo variegatus, rugosus. Carpidia ad 3‴ longa. Semina perfecte evoluta *cærulea*, nitentia, ovata, turgida.

Macrozamia spiralis.—p. 41.

Jervis Bay.

Macrozamia Preissii.—p. 41.

Sinum Stokes Inlet versus ; Maxwell.
Huc traho M. Fraseri, Miq. Monograph. Cycad. p. 37, et Cycadem Ridleyi, Fisch. ex Gaudich. Voy. Freyc. Bot. 243.

Flindersia Australis.—p. 65.

Occurrit usque ad 30° lat. austr. Arbor locis faventibus excelsa. Cortex canus, lævis. Valvæ rarius 4 v. 6.

Boronia grandisepala.—p. 66.

Hujus est varietas B. artemisifolia. Petala et sepala æstivatione valvata. Antheræ staminum sepalinorum minores.

Lycium Australe.—p. 83.

Bacca ovato, oligo- v. pleiosperma, circiter 4‴ longa. Semina flavida, pæne 1‴ metientia, ovato- v. renato-orbicularia.

Santalum Priessii.—p. 85.

Huic proximum S. Mitchellii (Eucarya Murrayana, Mitch. three Exped. ii. p. 100 c. Icon. xylograph.), quod magnitudine et colore drupæ cum S. persicario convenit, strato autem crasso pericarpii et putamine profunde rimoso potius ad S. Preissii accedit. S. Mitchellii flores mihi hactenus ignoti manserunt.

Macrozamia Pauli Guilielmi.—p. 86.

In vicinia fluminum Mackenzie et Maranoa. Mar. Cobham.
Caudex dense cinereo-lanatus, sæpius spithamæus. Foliola passim lato-linearia. Pedunculus fructifer circa 4″ longus, præter basin attenuatam dense lanato-tomentosus. Conus fructifer circiter semipedem longus. Quandam plantam cycadeam detexit in Australia centrali ad flumen Neales celebris peregrinator J. M. Stuart, forsan Macrozamiam, tunc M. Macdonnellii dicendam.

Dendrobium Hillii.—p. 88.

Ad Illawarra ; Ralston.
Sarcochilo subjungatur.

Dendrobium Milligani.—p. 88.

Labelli lobi laterales nonnunquam acuti.

Sarcochilus falcatus.—p. 89.

Folia semipedalia v. breviora. Capsulæ 3–5″ longæ, $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}$″ crassæ, prominenter costulatæ.

Cheiranthera brevifolia.—p. 97.

Antheræ primum cohærentes. Ad flumen Young River occurrit varietas foliis 1–1$\frac{1}{2}$″ longis insignis.

Boronia brachyphylla.—99.

B. oxyanthæ Turcz. l. c. comparetur.

Eurybia asterotricha.—p. 112.

Antheræ cyaneæ.

Eremophila Woollsiana.—p. 125.

Ad Stokes Inlet; Maxw.

Vitis angustissima.—p. 141.

"Mandoolia" nativorum. Radix ex adnotatione Oldfieldii fere fusiformis, 3–4′ longa, 5–6″ crassa, carnosa, saporis odorisque expers. Caules gignuntur exodo veris primum aphylli. Folia interdum ad 5″ longa. Baccæ non raro cyaneo-atræ.

Euodia micrococca.—p. 144.

Ad sinum Moreton Bay; Hill. Ad fluvia Clarence et Hastings River; Dr. Beckler. Juxta oppidulum Tenterfield; Stuart.

Arbor nunc parva, nunc elata. Cortex cinerascens, rugulosus. Stamina 4, petalis longiora. Semina ovato-globosa, fusco-nigra, circiter 1$\frac{1}{4}$‴ longa, nitentia. Cotyledones ovato-orbiculares, foliaceæ, duplo longiores quam radicula cylindracea. Albumen copiosum.

Cassia venusta.—p. 166.

In monte Freeling; J. M. Stuart.

Dendrobium gracilicaule.—p. 179.

Ad flumen McLeay River; Beckler.

Zehneria micrantha.—p. 182.

Ad Muckiæ genus transfero.

Forsan eandem reperit inter Cooper's Creek et Eyre's Creek infelicissimus Wills.

Jasminum suavissimum.—p. 184.

In Nova Anglia ad Tenterfield; Stuart.

Baccæ nigræ, globosæ, pisi magnitudine v. duplo majores, monospermæ. Semen globoso-ovatum, nigrum.

Saccolabium calcaratum.—p. 192.

Ad Illawarra; Ralston.

Nunc ad Sarcochilum traho.

Hymenotheca.—p. 201.

Ad hocce genus referatur Gyrostemon cotinifolius; stirpis enim masculæ examinandi occasio nuperius mihi obtulit.

Scævola clandestina.—p. 206.

Exhibit Diaspasim filifoliam.

Eremophila graciliflora.—p. 209.

Pedicelli fructiferi sigmoideo-deflexi. Drupa speciminis fructiferi, nisi fallor, huc pertinentis exsucca, subglobosa, pisi magnitudine, leniter compressa, calyce admodum aucto obvallata. Calycis fructiferi nempe segmenta chartacea, plurinervia, reticulari-venosa, glabra, semipollice paulo longiora et breviora, subacuminata, latius angustiusve lanceolata. Drupa parva, perfecte quadriloculata.

Jasminum calcarium.—p. 212.

Baccæ globosæ, circiter semunciales. Pericarpium (statu saltem sicco) saturate fulvum. Semen unicum, subrotundum, $\frac{1}{3}''$ metiens, rugulosum, nigro-fulvum. Forsan ad hanc speciem patet Gaudichaudii adnotatio (in Voy. Freycenet. Bot. p. 36) de Jasmino mogorio ad sinum squalorum collecto.

Anthobolus foveolatus.—p. 213.

Pedunculi semipollicares v. breviores. Calyx masculus 3- passim 4-partitus, æstivatione inflexo-valvatus; segmentis semilanceolato-ovatis, $1'''$ longis, apice subfornicatis. Filamenta brevissima, basi laborum calycis adnata. Antheræ ovato-cordatæ, subdidymæ, vix $\frac{1}{2}'''$ excedentes, flavæ, introrsum dehiscentes. Germinis rudimentum depressum, rotundum, levissime trilobum. Bracteolæ ad basim pedicellorum caducæ, semilanceolato-cymbiformes, circa $1'''$ longæ. Pedicelli 2–4 in quaque umbella, 1–$2'''$ longi.

Dendrobium æmulum.—p. 213.

Ad urbem Richmond; Ludovica Atkinson. Ad Illawarra; Ralston.

Caules 2–4-articulati, digitum longi v. breviores, $\frac{1}{2}''$ et ultra crassi, e rhizomate conferte et copiose orti. Racemi terminales, sæpe fasciculati. Flores leniter fragrantes. Sepala petalaque albida, interdum lanceolato-subulata. Labelli lobi laterales rubello-variegati ; crista ejusdem flavo-virens.

Marianthus lineatus.—p. 217.

Semina uniseriata, aptera. Nucleus testa paulo superatus.

Dodonæa multijuga.—p. 219.

Huic nunc imposui nomen D. foliolosa, ne cum D. multijuga Donii confundatur.

Burgesia homaloclada.—p. 222.

Ad hanc trahenda est Brachysema aphylla, Hook. Bot. Mag. 4481.

Cassia pleurocarpa.—p. 223.

Eandem e montibus Barrier Range attulit expeditio Victoriana.

Warburtonia.—p. 229.

Ad Hibbertiam transfero.

Beyera viscosa.—p. 230.

Prope sinum Twofold Bay et flumen Severn occurit varietas *lasiocarpa*, arborescens, capsulis dense hispidis, stigmate amplissimo crenulato vix convexo eximia.

Chloanthes Oldfieldii.—p. 234.

Cum hac combinetur Quoya cuneata (Gaudich. in Voy. Freycenet, 453, t. 66.)

Reedia spathacea.—p. 240.

Caudex recumbens, sæpe pedalis. Occurrunt specimina triente majora quam ea descriptioni subjecta.

INDEX GENERUM ET SPECIERUM

IN VOLUMINE SECUNDO DESCRIPTORUM, NEC NON ORDINUM IBIDEM ADNOTATORUM.

—o—

Abelmoschus rhodopetalus, 113.
Acanthocladium, 155; Dockerii, 156.
Agati formosum, 88.
Agrostocrinum, 94; stypandroides, 95.
Aizoon quadrifidum, 148.
Alangiaceæ, 84.
Amarantaceæ, 92, 140.
Anisacantha gracilicuspis, 169; lanicuspis, 170.
Anthocercis Hopwoodii, 138.
Apocyneæ, 89, 158.
Araliaceæ, 83, 106.
Aralia Moorei, 108.
Aristolochieæ, 166.
Aristolochia prævenosa, 166; Thozetii, 167.
Aristotelia Australasica, 79.
Asperifoliæ, 139.
Astartea ambigua, 32.

Backhousia sciadophora, 26, 171.
Bæckea polystemonea, 124.
Bolbophyllum exiguum, 72, 175.
Boronia fasciculifolia, 99; gracilipes, 99; heterophylla, 98; megastigma, 97; nematophylla, 100; semifertilis, 98; subcœrulea, 100; teretifolia, 101.
Bossiæa aculeata, 120; Walkeri, 120.
Buettneriaceæ, 4.
Byronia Arnhemensis, 119.

Cadellia, 25; pentastylis, 26, 171.
Canthium lamprophyllum, 133; microphyllum, 134.
Capparideæ, 2.
Cheiranthera tortilis, 79.
Chilocarpus, 89; Australis, 90.
Chloanthes loxocarpa, 22.
Combretaceæ, 149.
Compositæ, 15, 88, 110, 131, 135, 154.
Convolvulaceæ, 22.
Corethrostylis oppositifolia, 6.
Cruciferæ, 142.
Cupania stipata, 75, 175.
Cyathopappus, 157; gnephosoides, 158.

Dampiera biloculata, 17; incana, 17.
Dasypogon bromelifolius, 112; Hookeri, 112.
Daviesia abnormis, 106; adnata, 105; cardiophylla, 105; obtusifolia, 104.

Deeringia altissima, 92 ; celosioides, 92.
Dendrobium Mortii, 93.
Desmodium acanthocladum, 122 ; biarticulatum, 121.
Dicrastylis parvifolia, 160.
Dilleniaceæ, 1.
Dioscoreæ, 92.
Dodonæa truncatialis, 143.

Echinospermum concavum, 139.
Eclipta platyglossa, 135.
Elæocarpus grandis, 81, 175 ; holopetalus, 143 ; obovatus, 80.
Elatineæ, 145.
Elatine ammanniodes, 147 ; pedicellaris, 145 ; perennis, 146.
Emblingia, 2 ; calceoliflora, 3.
Endiandra virens, 90.
Eremæa acutifolia, 30 ; ebracteata, 29.
Eremophila Bowmani, 139 ; densifolia, 160.
Eriostemon Ralstoni, 101.
Ethuliopsis, 154 ; dioica, 155.
Eucalyptus acervula, 64 ; alpina, 68 ; amygdalina, 53 ; botryoides, 48, 175 ; calophylla, 35, 171 ; capitellata, 173 ; citriodora, 47, 174 ; concolor, 42 ; coriacea, 52; cornuta, 39 ; corymbosa, 46, 174 ; corynocalyx, 43 ; Doratoxylon, 55 ; dumosa, 59 ; erythrocalyx, 32 ; erythrocorys, 33 ; eudesmoides, 35; ficifolia, 85, 176; floribunda, 40; fruticetorum, 57; gigantea, 44, 171 ; globulus, 68 ; gomphocephala, 36; goniocalyx, 48; gracilis, 55; Gunnii, 62 ; hæmastoma, 51, 175 ; Leucoxylon, 60, 175; macrocarpa, 41; maculata, 47 ; Mahagoni, 41 ; marginata, 174 ; microcorys, 50 ; obliqua, 172; occidentalis, 39; odorata, 65; Oldfieldii, 37; oleosa, 56; paniculata, 174 ; persicifolia, 61; pilularis, 172 ; piperita, 173 ; pleurocarpa, 37 ; Preissiana, 38 ; pulverulenta, 70 ; resinifera, 172 ; robusta, 43, 171 ; saligna, 173; stellulata, 45, 174 ; tetraptera, 34 ; viminalis, 64 ; Woollsii, 50, 174.
Euodia octandra, 102.
Euphorbiaceæ, 14, 152.
Euphorbia erythrantha, 152.
Eurybia iodochroa, 110 ; oppositifolia, 88.

Fragræa Thwaitesii, 137.

Geissois rubifolia, 82, 175.
Genethyllis pimeloides, 169.
Gentianeæ, 21
Goodeniaceæ, 16, 110.
Goodenia cistifolia, 110, 176 ; corynocarpa, 16 ; tenella, 111.
Guettarda polyphragmoides, 134.

Haloragеæ, 87.
Hannafordia, 9 ; quadrivalvis, 9.
Harmogia corynophylla, 30 ; crispiflora, 31 ; ovalifolia, 32 ; pentandra, 31.
Harpulia alata, 103.
Helicia glabriflora, 91 ; ternifolia, 91.
Helichrysum obovatum, 89 ; semicalvum, 156.
Helipterum semisterile, 157.
Hibbertia spicata, 1.
Hibiscus Beckleri, 117; magnificus, 118 ; panduriformis, 115; pentaphyllus, 13 ; radiatus, 117; solanifolius, 116 ; Sturtii, 13 ; trionum, 115 ; vitifolius, 114.
Hodgkinsonia, 132 ; ovatiflora, 132.

Hodgsoniola, 95 ; junciformis, 96, 176.
Holotome omnifertilis, 129.
Homalineæ, 127.
Homalium alnifolium, 127.
Hydrocotyle grammatocarpa, 128 ; homalocarpa, 129.
Hymenosporum, 77 ; flavum, 77.
Hypocalymma longifolium, 28 ; xanthopetalum, 29.

Ilicineæ, 119.
Ipomæa modesta, 22.
Ixiosporum, 76, 175 ; spinescens, 76.
Ixora Thozetiana, 132.

Junceæ, 112.

Kentropsis eriacantha, 140.
Kunzea brachyandra, 27 ; eriocalyx, 28 ; podantha, 28.

Lachnostachys Walcottii, 140.
Lasiopetalum Oldfieldii, 6 ; oppositifolium, 5.
Laurineæ, 90
Ledgeria aphylla, 167 ; foliata, 167.
Leguminosæ, 15, 88, 104, 120, 154.
Leschenaultia chlorantha, 20.
Liliaceæ, 94.
Lobeliaceæ, 20.
Lobelia stenotheca, 20.
Loganiaceæ, 137.
Loranthaceæ, 109, 130.
Lumnitzera montana, 149.

Malphighiaceæ, 25.
Malvaceæ, 11, 113.
Marianthus parviflorus, 144 ; rhytidosporeus, 145.
Melaleuca Wilsonii, 124.
Menkea Australis, 142 ; procumbens, 142.
Milletia Blackii, 123.
Mirbelia oxylobioides, 154.
Mollugo Cerviana, 148.
Myriophyllum latifolium, 87 ; trachycarpum, 87.
Myrtaceæ, 26, 85, 124, 169.
Myrtus Beckleri, 85 ; Thozerii, 86.

Nuytsia ligustrina, 130.
Nymphæaceæ, 141.
Nymphæa gigantea, 141 ; stellata, 142.

Oberonia palmicola, 24.
Orchideæ, 24, 71, 93, 167.
Ozothamnus pholidotus, 131.

Panax cephalobotrys, 83, 176 ; macrosciadeus, 108, 176 ; Murrayi, 106.
Parsonsia diaphanophleba, 158 ; eucalyptophylla, 159.
Petermannia, 92, 176 ; cirrosa, 93.
Pittosporeæ, 76, 144.
Pittosporum ovatifolium, 78.
Plantagineæ, 23.
Plantago stellaris, 23.

Pomaderris elachophylla, 131.
Portulacceæ, 148, 170.
Proteaceæ, 91.
Pseudalangium, 84, 176 ; polyosmoides, 84, 176.
Pseudanthus nematophorus, 14 ; orientalis, 14 ; polyandrus, 153.
Psychotria nesophila, 135.
Pultenæa rosea, 15.

Quintinia Sieberi, 126 ; Verdonii, 125.

Rhamnaceæ, 131.
Rhytidandra polyosmoides, 176.
Rubiaceæ, 132.
Rutaceæ, 97.
Rutidosis acoma, 89.

Salsolaceæ, 140.
Sapindaceæ, 75, 103, 143.
Sarcochilus Hillii, 94.
Sarotes semihastata, 4.
Saxifrageæ, 82, 125.
Scævola atriplicina, 18 ; Oldfieldi, 19 ; phlebopetala, 18 ; porocarya, 19.
Scrophularinæ, 137.
Senecio leucoglossus, 15.
Sida cryptopetala, 11 ; leucopetala, 12 ; oxycarpa, 12.
Sisymbrium eremigerum, 143.
Solaneæ, 138, 161.
Solanum adenophorum, 162 ; chenopodinum, 165; carduifolium, 163 ; corifolium, 166 ; elachophyllum, 164 ; leptophyllum, 164 ; melanospermum, 163 ; nemophilum, 161 ; Oldfieldii, 161 ; quadriloculatum, 161 ; semiarmatum, 163 ; tetrathecum, 165.
Sturmia cælogynoides, 71.
Synostemon rigens, 153.

Telopea oreades, 170.
Terminalia bursarina, 149 ; edulis, 151 ; erythrocarpa, 150 ; oblongata, 152 ; platyphylla, 150 ; platyptera, 151 ; pterocarya, 152.
Thomasia pogonanthera, 7 ; rhynchocarpa, 8 ; tenuivestita, 7.
Tiliaceæ, 79, 143.

Umbelliferæ, 127.

Vaccinieæ, 136.
Verbenaceæ, 22, 139, 160.
Veronica densifolia, 137.
Villarsia albiflora, 21.
Viniferæ, 73.
Viscum incanum, 109, 176.
Vitis acris, 75; cardiopylla, 73 ; clematidea, 74 ; nitens, 73; psoralifolia, 75.

Weinmannia paniculosa, 83, 175.
Wittsteinia, 136 ; vacciniacea, 136.

Xanthosia Atkinsoniana, 127.

INDEX GENERUM ET SPECIERUM,

QUÆ IN VOLUMINE PRIMO SECUNDOVE FRAGMENTORUM ADNOTATA SUNT.

—o—

Abelmoschus moschatus, ii. 114.
Acacia buxifolia, i. 6; conferta, i. 6; decipiens, i. 6; hakeoides, i. 7; imbricata, ii. 177; lineata, i. 6; obtusata, i. 7; pravissima, ii. 177.
Achilleopsis densiflora, ii. 10.
Aciphylla glacialis, i. 16; Monroi, i. 16.
Acradenia, i. 7.
Acronychia arborea, i. 27; Cunninghami, ii 178; cyminosma, i. 27; Hillii, ii. 178; lævis, i. 27; laurifolia, i. 27; trifoliata, i. 27.
Actinotus Helianthi, ii. 130; leucocephalus, ii. 130; minor, ii. 130.
Adenanthos terminalis, i. 158; velutina, i. 158.
Adrastea, ii. 2.
Ærva, ii. 92.
Agati grandiflorum, ii. 88.
Aillya umbellata, i. 116, ii. 16.
Amaranthus retroflexus, i. 140.
Angianthus brachypappus, ii. 158.
Angophora cordifolia, i. 31; lanceolata, i. 31.
Anisacantha quinquecuspis, ii. 160.
Anodopetalum, ii. 83.
Anopteris glandulosa, ii. 126; Macleayana, ii. 126.
Anthobolus filifolius, i. 213; foveolatus, ii. 181; leptomeroides, i. 213; triqueter, i. 213.
Anthocercis angustifolia, i. 179, ii. 139, 211; anisantha, i. 122; Eadesii, ii. 139; fasciculata, i. 212; gracilis, i. 211; myosotidea, i. 179.
Apophyllum, ii. 2.
Argyrodendron trifoliolatum, ii. 177.
Aristolochia Indica, ii. 167; puberula, ii. 167.
Aristotelia fruticosa, ii. 80; Maqui, ii. 80; peduncularis, ii. 80; racemosa, ii. 80.
Arnocrinum, ii. 96.
Arthrocnenum Arbuscula, i. 139.
Asterochiton, ii. 7.
Astrotricha hoveoides, i. 112.
Atalaya Australis, i. 46.

Backhousia angustifolia, ii. 27; citriodora, ii. 27; myrtifolia, i. 79, ii. 27; riparia, i. 78.
Bæckea ericæa, i. 31; leptocaulis, i. 13; linifolia, i. 13
Bergia, i. 76; anagalloides, ii. 146; decumbens, ii. 147; glomerata, ii. 147; pedicellaris, ii. 147; suffruticosa, ii. 147; tripetala, ii. 147; verticillaris, ii. 148.
Beyera viscosa, ii. 182.
Beythia, ii. 81.
Bidwillia, ii. 95.

Blaberopus, i. 57.
Blackwellia brachybotrys, ii. 127.
Bolbophyllum, i. 190 ; pygmæum, ii. 72.
Boronia, i. 107 ; bicolor, ii. 99 ; brachyphylla, ii. 180 ; cymosa, ii. 101 ; Drummondii, ii. 99 ; elatior, ii. 99 ; filifolia, ii. 177 ; grandisepala, ii. 179 ; granulata, i. 101 ; heteranthera, ii. 99 ; humilis, ii. 98 ; ledifolia, i. 67 ; ledophylla, i. 67 ; leptophylla, ii. 100 ; paradoxa, i. 67 ; pulchella, ii. 99 ; rosmarinifolia, i. 67 ; teretifolia, ii. 101 ; tetrathecoides, i. 3 ; thymifolia, ii. 100.
Boscia, ii. 2.
Bossiæa ensata, ii. 120 ; heterophylla, i. 10 ; linnæoides, i. 9 ; phylloclada, ii. 120 ; Scolopendria, ii. 120 ; stenophylla, ii 178.
Brachychiton acerifolium, ii. 177 ; discolor, ii. 177 ; incanum, i. 1 ; luridum, ii. 177.
Brachycome angustifolia, i. 49 ; melanocarpa, i. 50 ; tenera, i. 50.
Brachysema, i. 222 ; aphylla, ii. 182.
Brassaya actinophylla, ii. 108.
Breweria linearis, i. 233 ; media, i. 233 ; pannosa, i. 233.
Brewsteria, i. 111.
Burgesia homaloclada, ii. 182.
Busbeckia nobilis, i. 164.
Byronia Sandwicensis, ii. 119 ; Tahitensis, ii. 119.

Cæsia, ii. 95 ; lateriflora, i. 215 ; vittata, i. 63.
Calandrinia Balonnensis, i. 177 ; calyptrata, i. 175, 177 ; compressa, i. 177 ; polypetala, i. 175, 177 ; pusilla, i. 177 ; uniflora, i. 177.
Caleyana, i. 43.
Callistemon lanceolatus, i. 14 ; salignus, i. 14.
Calorhabdus, ii. 138.
Calycothrix brachyphylla, i. 224 ; ciliata, i. 224 ; decandra, i. 147 ; Fraserii, i. 13, 147 ; longiflora, i. 147 ; megaphylla, i. 13, 147.
Candollea, ii. 2.
Canthium nitens, ii. 134 ; oleifolium, ii. 134 ; vaccinifolium, ii. 134.
Capparis Mitchellii, i. 164.
Carmichælia, i. 168.
Cassia auriculata, i. 166 ; pleurocarpa, ii. 182 ; venusta, ii. 180.
Cassinia argophylla, i. 18 ; obovata, i. 18.
Cedrela febrifuga, i. 4 ; Taona, i. 4.
Cephalosorus, ii. 157.
Ceratopetalum apetalum, ii. 126 ; gummiferum, ii. 126 ; montanum, ii, 126.
Cheiranthera brevifolia, ii. 180.
Chloanthes atriplicina, ii. 23 ; Bartlingii, i. 235 ; Oldfieldii, i. 234, ii. 182 ; parviflora, i. 235.
Chlorophyta, ii. 95.
Choretrum chrysanthum, i. 21 ; glomeratum, i. 21 ; lateriflorum, i. 21 ; oxycladum, i. 21 ; Preissianum, i. 21 ; spicatum, i. 21 ; spinescens, i. 21.
Chrysostemon virgatus, i. 108.
Cissus opaca, i. 141.
Citriobatus, ii. 76 ; Cunninghami, ii. 77 ; multiflorus, ii. 77 ; pauciflorus, ii. 77.
Citrus Australasica, ii. 178 ; buxifolia, ii. 26.
Cladostachys muricata, ii. 92.
Claoxylon, i. 31.
Clematis, i. 229.
Cleome flava, i. 70 ; tetrandra, i. 70.
Codonocarpus, i. 201.
Coldenia, i. 127.
Comesperma latifolium, i. 44 ; linarifolium, i. 49 ; scoparium, i. 145 ; sphærocarpum, i. 145.

Commersonia, ii. 9 ; echinata, ii. 10 ; Gaudichaudii, ii. 10.
Conospermum distichum, i. 157 ; filifolium, i. 157 ; sclerophyllum, i. 157.
Conostylis misera, i. 158.
Cookia punctata, i. 25.
Corethrostylis parviflora, ii. 7.
Cordia dichotoma, i. 59 ; fulvosa, i. 59 ; myxa, i. 59.
Corræa, i. 107.
Crowea, i. 107. ii. 102.
Cupania anodonta, ii. 76 ; pyriformis, ii. 76.
Cyathopappus, ii. 158.
Cyclogyne procumbens, i. 76 ; swainsonioides, i. 76.
Cyclotheca Australis, i. 202.
Cycnogeton, i. 23.
Cymbidium, i. 239 ; reflexum, ii. 72 ; suave, i. 188, 190.
Cyminosma Aukenda, i. 27 ; pedunculata, i. 27.
Cyphanthera, ii. 139.
Cyrtosia, i. 239 ; ii. 168.
Cystanthe acerosa, i. 39.

Dalibarda, i. 229.
Dampiera Linschotenii, i. 116 ; prostrata, ii. 17 ; Reinwardtii, ii 17 ; Verreauxii, ii. 17.
Dasycalyx Zeyheri, i. 238.
Daviesia alternifolia, ii. 105 ; angulata, ii. 105 ; colletioides, i. 145 ; decurrens, i. 145 ; Drummondii, ii. 106 ; incrassata, ii. 105 ; latipes, i. 145 ; pectinata, i. 145 ; physodes, i. 145 ; polyphylla, ii. 105 ; Preissii, ii. 105 ; ruscifolia, ii. 106 ; umbellulata, ii. 106.
Dendrobium æmulum, i. 180, ii. 181 ; crispatum, i. 89 ; gracilicaule, ii. 180 ; Hillii, ii. 179 ; linguiforme, i. 190, 214 ; Milligani, i. 190, 214, ii. 179 ; pungentifolium, i. 190 ; rigidum, i. 190 ; speciosum, i. 180 ; teretifolium, i. 190.
Dianella, ii. 95.
Diaspasis filifolia, ii. 17.
Dichrocephala, ii. 155.
Dicrastylis fulva, i. 244, ii. 160 ; reticulata, i. 244.
Didiscus cœruleus, i. 231.
Didymostropha angustifolia, ii. 7.
Didymotheca, i. 201 ; pleiococca, i. 202.
Dimetopia eriocarpa, i. 231 ; homocarpa, i. 231.
Diplarcha, ii. 136.
Dipleurandra, i. 162.
Diplolæna, i. 107.
Dipodium, i. 239 ; punctatum, i. 62.
Dodonæa adenophora, i. 98, 219 ; asplenifolia, i. 220 ; denticulata, i. 220 ; dioica, i. 73 ; foliolosa, ii. 182 ; lanceolata, i. 73 ; lobulata, i. 98, 222 ; multijuga, ii. 182 ; platyptera, i. 72, ii. 143 ; polyzyga, i. 219 ; Preissii, i. 72, 98 ; ptarmicifolia, i. 220 ; stenophylla, i. 73 ; tenuifolia, i. 98 ; triquetra, i. 73 ; viscosa, i. 72 ; Waitziana, i. 73 ; Wightiana, i. 73.
Dracophyllum recurvum, i. 40 ; rosmarinifolium, i. 40.
Drakea, i. 43.
Drummondita, i. 107.

Fadesia anthocercidea, ii. 139.
Echinopsilon, i. 139.
Eclipta erecta, i. 135.
Eichhornia, i. 24.
Elæocarpus, ii. 80 ; coriaceus, ii. 81 ; cyaneus, ii. 81 ; obovatus, ii. 81 ; parviflorus, ii. 81 ; serrulatus, ii. 81.

Encephalartos spiralis, i. 243.
Epaltes, ii. 155.
Eremæa ericifolia, ii. 30 ; fimbriata, ii. 30 ; pilosa, ii. 30.
Eremophila Behrii, i. 126, ii. 160 ; brevifolia, i. 126 ; Brownii, i. 209 ; crassifolia, i. 126 ; eriocalyx, ii. 140 ; Freelingii, i. 208 ; Goodwinii, ii. 140 ; graciliflora, ii. 181 ; La Trobei, i. 237 ; longifolia, i. 209 ; Macdonelli, ii. 140 ; maculata, i. 125, 209 ; Mitchellii, i. 208 ; obtusifolia, i. 208 ; resinosa, i. 126 ; Woollsii, i. 156, ii. 160, 180.
Eriocaulon Australe, i. 92 ; Nepalense, i. 92 ; nigricans, i. 96 ; oryzetorum, i. 91 ; quinquangulare, i. 91 ; scariosum, i. 94, 95 ; setaceum, i. 94 ; sexangulare, i. 96.
Eriostemon, i. 107, ii. 102 ; Geleznowii, i. 107 ; lepidotum, i. 244 ; nudum, i. 81 ; Oldfieldii, i. 181 ; phylicifolium, i. 105 ; Sandfordii, i. 107 ; serrulatum, i. 105.
Erythrorchis, ii. 168.
Ethulia, ii. 154.
Eucalyptus acervula, ii. 54, 63 ; albens, ii. 67 ; amygdalina, ii. 46, 54, 56, 58 ; Behriana, ii. 58, 67 ; calophylla, ii. 85 ; capitellata, ii. 53 ; cinerea, ii. 71 ; coccifera, ii. 54 ; cordata, ii. 54 ; coriacea, ii. 54 ; cornuta, ii. 40, 45 ; corynocalyx, ii. 59 ; cosmophylla, ii. 50 ; curvula, ii. 66 ; daphnoides, ii. 63 ; dealbata, ii. 67 ; dumosa, ii. 59 ; erythrocalyx, ii. 41 ; erythrotheca, ii. 40 ; eugenioides, ii. 52 ; fasciculosa, ii. 56, 67 ; floribunda, ii. 51 ; fruticetorum, ii. 56 ; gigantea, ii. 52, 53, 54, 63, 64 ; globulus, ii. 34, 54, 63 ; gomphocephala, ii. 43, 59 ; goniocalyx, ii. 49 ; gracilis, ii. 58, 67 ; Gunnii, 63, 64 ; hæmastoma, ii. 53, 58 ; hemiphloia, ii. 62 ; hypoleuca, ii. 42 ; incrassata, ii. 47 ; largiflorens, ii. 58 ; leptophleba, ii. 62 ; Leucoxylon, ii. 62, 67 ; longifolia, ii. 50 ; macrocarpa, ii. 33 ; mannifera, ii. 66 ; megacarpa, ii. 68 ; micrantha, ii 46 ; obliqua, ii. 45 ; oblonga, ii. 42 ; obtusiflora, ii. 43, 52 ; odorata, ii. 67 ; pachyphylla, ii. 68 ; paniculata, ii. 52 ; persicifolia, ii. 61, 63 ; pilularis, ii. 52 ; piperita, ii. 49, 64 ; plurilocularis, ii. 70 ; polyanthemos, ii. 67 ; populifolia, ii. 67 ; populnea, ii. 67 ; Preissiana, ii. 70 ; pulverulenta, ii. 71 ; radiata, ii. 54 ; rigida, ii. 52 ; Risdoni, ii. 54 ; robusta, ii. 49 ; rostrata, ii. 40, 65 ; saligna, ii. 52 ; Smithii, ii. 52 ; spodophylla, ii. 71 ; stricta, ii. 53 ; tenuiramis, ii. 54 ; tereticornis, ii. 65, 66 ; tessellaris, ii. 66 ; uncinata, ii. 57 ; urnigera, ii. 43, 54, 174 ; vernicosa, ii. 54 ; viminalis, ii. 54, 63, 67 ; virgata, ii. 53 ; Woollsii, ii. 61.
Eucarya Murrayana, i. 86.
Euchilus obcordatus, i. 146.
Eugenia psidioides, i. 78.
Euodia, i. 107 ; erythrococca, ii. 103, 178 ; micrococca, ii. 103, 180 ; neurococca, ii. 103, 178.
Eurybia alpicola, ii. 89 ; asterotricha, ii. 180 ; decurrens, i. 202 ; glutinosa, i. 111 ; linifolia, i. 111 ; picridifolia, i. 51, 202 ; rosmarinifolia, ii. 89 ; rudis, i. 51 ; scabra, i. 51, 202 ; viscosa, i. 17, 51 ; xerophila, i. 51.
Eutaxia empetrifolia, i. 7.
Euxolus polygamus, i. 140.

Fagræa morindifolia, ii. 137 ; racemosa, ii. 137 ; volubilis, ii. 137.
Fimbristylis androgyna, i. 195 ; brachylæna, i. 199 ; capitata, i. 198 ; cymosa, i. 200 ; depauperata, i. 199 ; elata, i. 199 ; furva, i. 200 ; gracilis, i. 197 ; nutans, i. 216 ; obtusangula, i. 199 ; oxystachya, i. 216 ; punctata, i. 195.
Flindersia Australis, ii. 179.
Friesia Chinensis, ii. 86.
Fusanus acuminatus, i. 21.
Gaimardia, i. 96.
Gardenia, i. 54.
Gastranthus, ii. 159.
Geissois racemosa, ii. 82.

Geleznowia, i. 107.
Genethyllis macrostegia, ii. 169; Hookeriana, ii. 169.
Genipa, i. 54.
Gejera, i. 101.
Ginalloa Arnottiana, ii. 110.
Gingidium glaciale, i. 16; Monroi, i. 16.
Glycosmis arborea, i. 25.
Gnephosis, ii. 157; arachnoidea, ii. 158; macrocephala, ii. 158.
Goodenia Aillya, ii. 16; albiflora, i. 119; barbata, ii. 176; bellidiflora, i. 117; calcarata, i. 119; cœrulea, i. 155; elongata, ii. 16; glauca, i. 115, ii. 16; heterophylla, i. 117; incana, i. 155; lamprosperma, i. 117, ii. 112; ovata, i. 205; paniculata, i. 115, 117, ii. 112; pterygosperma, i. 155; purpurascens, ii. 112; stenophylla, i. 114; stolonifera, i. 116; strophiolata, i. 206, ii. 111; tenella, i. 116; teucriifolia, i. 117; viscida, i. 120.
Goodia, i. 168; retusa, i. 242.
Grevillea asparagoides, i. 137; capillaris, i. 136; Chrysodendron, i. 137; grandiflora, i. 135; Leucodendron, i. 137; linearifolia, i. 135; lobata, i. 138; macrostylis, i. 135; mimosoides, i. 136; occidentalis, i. 136; ovalifolia, i. 135; pauciflora, i. 135; pyramidalis, i. 137; Thelemanniana, i. 137; Wilsoni, i. 137.
Guettarda, i. 54.
Guichenotia, i. 143.
Gunnia Australis, i. 90.
Gynandropsis, ii. 2.
Gyrostemon, i. 201; acaciiformis, i. 202; cotinifolius, i. 202; pungens, i. 202; ramulosus, i. 202.

Hakea longifolia, i. 20.
Halocnemum Australasicum, i. 140.
Haloragis Serra, i. 108.
Haplotaxis Bungei, i. 36.
Harmogia umbellata, ii. 31; virgata, ii. 31.
Harpulia alata, ii. 104; Hillii, ii. 104; imbricata, ii. 104; pendula, ii. 104.
Helichrysum scorpioides, i. 36.
Helicia Australasica, ii. 91.
Helipterum diffusum, ii. 157; exiguum, ii. 157.
Hemigenia rigida, i. 210.
Hemiphues, ii. 130.
Hemistemma, ii. 1; angustifolium, i. 162; lineare, i. 162; revolutum, i. 162.
Hemistephus linearis, i. 162, ii. 1.
Hemisteira, ii. 130.
Heterodendron oleifolium, i. 46.
Hibbertia aspera, i. 162; astrophylla, i. 162; cinerascens, i. 162; proxima, i. 162; saligna, i. 161; spicata, ii. 2; stellaris, ii. 2; stricta, ii. 2; trachyphylla, ii. 1.
Hibiscus brachysiphonius, i. 220; cannabinus, ii. 119; Elliottii, i. 221, ii. 116; hakeifolius, ii. 221; heterophyllus, ii. 117; Krichauffii, ii. 116; lunarifolius, ii. 118; Meisneri, i. 220; microchlænus, ii. 116; multifidus, i. 220; pentaphyllus, ii. 117; radiatus, ii. 13; vitifolius, i. 220; zonatus, ii. 116.
Holotome leucocephala, ii. 130.
Homalium brachybotrys, ii. 127.
Homalosporum lineatum, ii. 77.
Huegelia, i. 107.
Huttia, i. 162.
Hydrilla verticillata, i. 94.
Hymenotheca acaciiformis, i. 202; cotinifolia, ii. 181; pyramidalis, i. 202.
Hypocalymma angustifolia, ii. 29; scariosa, ii. 29.

Ipomæa denticulata, ii. 22.
Ixiolæna, ii. 156 ; tomentosa, i. 53.
Ixora coccinea, ii. 133.

Jacksonia, i. 168, 222.
Jambosa eucalyptoides, i. 226.
Jasminum gracile, i. 212 ; mogorium, ii. 181 ; simplicifolium, i. 212 ; suavissimum, ii. 181.
Juncella Tasmanica, i. 96.

Kentropsis lanata, i. 139.
Keraudrenia, ii. 5 ; hermannifolia, ii. 5 ; Hookeri, ii. 5 ; integrifolia, ii. 5 ; microphylla, ii. 5 ; nephrospherma, ii. 5 ; velutina, ii. 5.
Keria, i. 229.
Kochia Brownii, i. 213.
Kunzea, i. 79 ; brachyandra, ii. 28 ; micromera, ii. 28 ; parviflora, ii. 28 ; pauciflora, ii. 28 ; peduncularis, ii. 28 ; Schaueri, ii. 28.

Lachnostachys albicans, ii. 146 ; ferruginea, ii. 140.
Lagrezia altissima, i. 238.
Lasiopetalum, i. 143 ; capitellatum, ii. 6 ; indutum, ii. 6 ; quinquenervium, ii. 6 ; Wilhelmi, ii. 6.
Laxmannia gracilis, i. 159 ; grandiflora, i. 160 ; minor, i. 160 ; Rœi, i. 160.
Leewenhookia dubia, i. 19.
Leptoceras, i. 43.
Leptochloa subdigitata, i. 216.
Leptorrhynchus squamatus, i. 52 ; tenuifolius, i. 53.
Leptosema, i. 222.
Leptospermum brevipes, ii. 28.
Leschenaultia pallescens, ii. 20.
Lesdibudesia arborea, ii. 92.
Leucopogon affinis, i. 37 ; Australis, i. 37 ; biflorus, i. 178 ; esquamatus, i. 39 ; propinquus, i. 37 ; Richei, i. 37.
Leucothomnus, ii. 7.
Lhotzkya ericoides, i. 13 ; genethylloides, i. 225.
Limnanthemum, ii. 22 ; capitatum, i. 40 ; minimum, i. 40.
Limonia Australis, i. 26.
Liparis reflexa, ii. 72.
Lissanthe ciliata, i. 37 ; Cunninghami, i. 37 ; daphnoides, i. 37 ; stellata, i. 37.
Lobelia anceps, ii. 21.
Logania campanulata, i. 130 ; fasciculata, i. 129 ; floribunda, i. 130 ; hispidula, i. 130 ; linifolia, i. 129, 130 ; micrantha, i. 129 ; revoluta, i. 130.
Lycium afrum, i. 84 ; Australe, ii. 179 ; carnosum, i. 84.
Lysiandra, i. 108.
Lysicarpus tenuifolius, i. 82.

Macarthuria, i. 241, ii. 11 ; Australis, ii. 11.
Macropteranthus, ii. 148.
Macrozamia Fraseri, ii. 179 ; Macdonnellii, ii. 179 ; Pauli Guilielmi, ii. 179 ; Preissii, ii. 179 ; spiralis, i. 87, ii. 179.
Marianthus bicolor, ii. 78 ; candidus, ii. 145 ; cœlestis, ii. 145 ; erubescens, i. 219 ; lineatus, ii. 182 ; pictus, i. 218.
Melaleuca acuminata, ii. 178 ; curvifolia, i. 15 ; genistifolia, i. 15 ; pubescens, i. 15 ; squarrosa, i. 225 ; styphéloides, i. 15 ; thymifolia, ii. 125.
Melicope, i. 107 ; Indica, ii. 103.
Mercurialis, i. 31.
Metrosideros, i. 79, 80 ; ciliata, i. 243 ; eucalyptoides, i. 243 ; paradoxa, i. 243.

Micrantheum ericoides, i. 32; hexandrum, i. 32.
Microcorys capitata, i. 157.
Microtis atrata, i. 90, 244; parviflora, i. 90; pulchella, i. 90.
Milletia atropurpurea, ii. 124.
Mirbelia, i. 168; ovata, ii. 154.
Mitrasacme alsinoides, i. 130; ambigua, i. 132; canescens, i. 134; cinerascens, i. 134; connata, i. 131, 134; elata, i. 131, 132; exigua, i. 130; lævis, i. 133; nudicaulis, i. 132; paludosa, i. 130; paradoxa, i. 130; pilosa, i. 130; prolifera, i. 130; serpillifolia, i. 130.
Mitreola oldenlandioides, 1. 130.
Mohlana, i. 47.
Mollugo Spergula, ii. 148.
Monocera, ii. 81.
Monochoria, i. 24.
Mora, i. 109.
Muckia micrantha, ii. 180.
Myriopyllum Indicum, ii. 87; integrifolium, ii. 87; pedunculatum, ii. 87.
Myrtus tenuifolia, i. 226; tomentosa, ii. 87.

Najas Indica, i. 94.
Nelitris psidioides, ii. 87.
Nematolepis phebalioides, ii. 102.
Nematopus, ii. 157.
Newcastelia, i. 124.
Nitraria, ii. 26.
Nothanthus brachiatus, ii. 153.
Nuytsia floribunda, ii. 131.
Nymphæa gigantea, ii. 141; Lotus, ii. 141.

Oberonia iridifolia, ii. 24.
Oncosporum bicolor, ii. 78.
Ottelia Indica, i. 94.
Ourisia, ii. 138.
Oxylobium bossiæoides, i. 222; scandens, i. 75; spinosum, i. 75.
Ozothamnus Hookeri, ii. 131; lepidophyllus, ii. 131; lycopodioides, ii. 131; microphyllus, ii. 131; scutellifolius, ii. 181; selaginoides, ii. 131.

Panax angustifolius, ii. 107; cephalobotrys, ii. 107; dendroides, ii. 107; elegans, ii. 107; sambucifolius, ii. 84, 107.
Panteuphora, ii. 130.
Parsonsia heterophylla, ii. 160; mollis, ii. 160; velutina, ii. 160.
Phajus Blumei, i. 42.
Phalangium, ii. 95.
Phebalium asteriscophorum, i. 106; aureum, i. 104; elæagnifolium, i. 104; elatum, i. 104; glandulosum, i. 102; nudum, i. 181; phylicifolium, i. 105; podocarpoides, i. 4; truncatum, i. 4, 105.
Philotheca Australis, i. 107; ciliata, i. 107; comosa, i. 107; Gaudichaudi, i. 107; Reichenbachiana, i. 107.
Phyllanthus trachyspermus, i. 33.
Pileanthus filifolius, i. 225; peduncularis, i. 225; vernicosus, i. 225.
Pimelea Cornucopiæ, i. 85; hypericina, i. 187; latifolia, i. 85; ligustrina, i. 187; umbratica, i. 84.
Pisonia Brunoniana, i. 20; fragrans, i. 20; grandis, i. 20; procera, i. 20.
Pithyrodia, i. 124; exsuccosa, i. 236; myriantha, ii. 160; salvifolia, i. 236.
Pittosporum rhombifolium, ii. 79; tetraspermum, i. 70; Zeylanicum, ii. 79.
Plagianthus pulchellus, i. 29.
Plantago Brownii, ii. 23; monantha, ii. 23.
Platysace flexuosa, i. 221.

Pleurandra hypericoides, ii. 1.
Podolepis acuminata, i. 112 ; longipedata, i. 112 ; Lucæana, i. 112 ; Mitchellii, i. 112.
Podolobium scandens, i. 75.
Pogonandra, ii. 19.
Polanisia flava, i. 70.
Polygonum diclinum, i. 138.
Polyosma Cunninghami, ii. 85.
Polyphragmus sericeus, ii. 135.
Pongamia atropurpurea, ii. 124.
Pomaderris, ii. 8.
Portulaca Australis, i. 169 ; tuberosa, i. 169.
Potamogeton Claytonii, i. 244 ; hybridum, i. 91 ; Niagarense, i. 244 ; pauciflorum, i. 244 ; tenuicaule, i. 244.
Prostanthera phylicifolia, i. 127 ; saxicola, i. 19 ; Sieberi, i. 19, 242.
Prosthospora, i. 145.
Pseudanthus ericoides, i. 107 ; occidentalis, ii. 14 ; orientalis, ii. 14 ; ovalifolius, i. 107, ii. 14; pimeloides, i. 107, ii. 14.
Pseudopholidia brevifolia, i. 126.
Psychotria daphnoides, ii. 135.
Pultenæa, i. 146 ; bæckeoides, ii. 154 ; mollis, i. 9 ; mucronata, ii. 178 ; myrtoides, i. 8.

Quoya cuneata, ii. 182.

Reedia spathacea, ii. 182.
Regelia ciliata, i. 225.
Richea pandanifolia, ii. 112.
Rochelia, i. 127.
Rutidosis leiolepis, i. 34.

Saccolabium calcaratum, ii. 181.
Sandfordia, i. 107.
Santalum acuminatum, i. 21 ; lanceolatum, i. 86 ; Mitchelli, ii. 179 ; Priessii, ii. 179.
Sarcochilus adversus, i. 90 ; calcaratus, ii. 181 ; calceolus, i. 90 ; croceus, i. 90 ; falcatus, i. 90, 190, ii. 180 ; fusco-luteus, i. 90 ; Gunnii, i. 90, 192 ; Hillii, ii. 179 ; olivaceus, i. 90 ; parviflorus, i. 90 ; unguiculatus, i. 90.
Scævola apterantha, i. 207 ; clandestina, ii. 17, 181 ; collaris, ii. 20 ; concatenata, ii. 17 ; hispida, i. 121, 207 ; revoluta, i. 121 ; thesioides, i. 207.
Scapium, i. 2.
Schmiedelia anodonta, ii. 76.
Sciadophyllum divaricatum, ii. 108; ellipticum, ii. 108; tomentosum, ii. 108.
Sclerochlamys, i. 139.
Sclerothamnus microphyllus, i. 7.
Seringea, ii. 4; corollata, ii. 5; grandiflora, i. 142, ii. 5; hermanniæfolia, ii. 5; Hookeri, ii. 5; integrifolia, ii. 5; lanceolata, i. 142; microphylla, ii. 5; nephrosperma, i. 142, ii. 5; platyphylla, ii. 5; velutina, ii. 5.
Sida diplotricha, ii. 11 ; Lyallii, ii. 12 ; populnea, ii. 12 ; pulchella, ii. 12 ; tubulosa, ii. 12.
Sisymbrium nasturtioides, ii. 143.
Solanum amblymerum, ii. 165 ; aviculare, i. 123 ; discolor, ii. 165 ; elachophyllum, ii. 165 ; furfuraceum, ii. 165 ; laciniatum, i. 123 ; lithophilum, ii. 161 ; simile, i. 123 ; stelligerum, ii. 166 ; vescum, i. 123 ; violaceum, ii. 166.
Sowerbæa, ii. 96.
Spadostylis, i. 146.
Sphærolobium stenopterum, ii. 167.

Sphyrospermum, ii. 136.
Spiculæa, i. 43.
Spiræa, i. 229.
Sprengelia ponceletioides, i. 39.
Stenocarpus salignus, i. 135, ii. 244.
Stillingia sebifera, i. 32.
Streptostigma viridiflorum, ii. 104.
Sturmia reflexa, ii. 72.
Stylidium bulbiferum, i. 155 ; despectum, i. 150 ; diffusum, i. 154 ; eriopodum, i. 155 ; floribundum, i. 148, 149 ; laricifolium, i. 150 ; leptorrhizum, i. 148; lobuliflorum, i. 153, 154 ; schizanthum, i. 153, 154 ; uliginosum, i. 153.
Stypandra scabra, ii. 95.
Styphelia, i. 178.
Swainsona procumbens, i. 76 ; stipularis, i. 76.
Symphiomyrtus Preissii, ii. 39.
Symphiopetalum, i. 107 ; corræoides, ii. 102.
Syncarpia laurifolia, i. 79.
Synostemon glaucum, ii. 153 ; ramosissimum, ii. 153.

Tamus, ii. 93.
Taverniera, ii. 122.
Telopea speciosissima, ii. 171 ; truncata, ii. 171.
Terminalia Belerica, ii. 151 ; Catappa, ii. 152 ; microcarpa, ii. 151 ; platyphylla, ii. 150, 151.
Thomasia, ii. 4 ; angustifolia, ii. 11 ; grandiflora, ii. 9 ; macrocalyx, ii. 10 ; paniculata, ii. 9 ; solanacea, ii. 11 ; Steetziana, ii. 7.
Thouinia Australis, i. 46, 98 ; variifolia, i. 98.
Thysanotus isantherus, i. 22 ; scaber, i. 22 ; tenellus, i. 22.
Trianthema crystallina, i. 172 ; pilosa, i. 174.
Trichinium Zeyheri, i. 238.
Triglochin dubium, i. 23.
Triphasia glauca, i. 27.
Tristania, i. 79, 82 ; angustifolia, i. 82 ; conferta, i. 82 ; neriifolia, i. 81 ; suaveolens, i. 82 ; subverticillata, i. 82.
Tristellateia Australasica, ii. 26.
Trithuria, i. 96 ; submersa, i. 96.
Tryptomene ericæa, i. 11 ; Miqueliana, i. 11 ; Mitchelliana, i. 11.
Tupeia, ii. 110.

Vanilla aphylla, ii, 168.
Verbena stricta, i. 60.
Veronica tetragona, ii. 138.
Verticordia callitricha, i. 227 ; chrysostachya, i. 227 ; oculata, i. 227 ; ovalifolia, i. 227, 228 ; umbellata, i. 164.
Villarsia capitata, i. 40; latifolia, ii. 22; parnassifolia, ii. 21; reniformis, ii. 22.
Vitis angustissima, ii. 180 ; clematidea, ii. 74 ; lanceolaria, ii. 74.

Warburtonia, ii. 182.
Weinmannia Australasica, ii. 83.

Xanthosia Atkinsoniana, ii. 128 ; rotundifolia, ii. 128.
Xerotes, i. 63.

Zaleya, i. 173.
Zehneria micrantha, ii. 180.
Zieria microphylla, i. 101; obcordata, i. 100; pauciflora, i. 101; revoluta, i. 101.

INDEX SYNONYMORUM

UTRIUSQUE VOLUMINIS.

—o—

Acomis rutidosea, ii. 89.
Adrastæa salicifolia, i. 161.
Asterolasia chorilænoides, i. 106; phebalioides, i. 106; trymalioides, i. 106.

Baccharis spiropoda, i. 34.
Bellis graminea, i. 49.
Bergia ammannioides, ii. 147; pedicellaris, ii. 145; perennis, ii. 146.
Beyera Backhousii, i. 230; oblongifolia, i. 230; opaca, i. 230.
Brachycome parvula, i. 49.
Burtonia subalpina, ii. 15.

Callistemon regulosus, i. 13; speciosus, i. 14.
Calopetalon ringens, i. 218.
Calyptrostigma ledifolium, i. 230; oblongifolium, i. 230; viscosum, i. 230.
Cartonema spicatum, i. 62.
Cassia Brewsterii, i. 110.
Cassinia pholidota, ii. 131.
Cephalosorus gnephosoides, ii. 158.
Chorilæna angustifolia, i. 107.
Chrysocoma squamata, i. 52.
Chuncoa lactiflua, ii. 149.
Citriobatus megacarpus, ii. 76.
Coleostylis Sonderi, i. 18.
Cucurbita micrantha, i. 182.
Cyminosma oblongifolia, i. 27.

Dasypogon glaber, ii. 112; obliquifolius, ii. 112.
Dendrobium Hillii, ii. 94.
Dicerma acanthocladum, ii. 122; biarticulatum, ii. 121.
Didymeria æmula, i. 3.
Doratolepis tetrachæta, i. 53.

Eclipta erecta, ii. 135.
Encephalartos Denisonii, i. 243; Pauli Guilielmi, i. 243; Preissii, i. 243.
Epaltes Australis, ii. 155.
Erythrorchis foliata, ii. 167.
Ethulia Cunninghami, ii. 155.
Eucalyptus angulosa, ii. 59; Baueriana, ii. 62; cajaputea, ii. 66; cordata, ii. 68; cosmophylla, ii. 60; costata, ii. 59; cuspidata, ii. 59; diversifolia, ii. 68; fabrorum, ii. 44; falcifolia, ii. 44; heterophylla, ii. 68; lamprocarpa, ii. 59; Lehmanni, ii. 39; leptophylla, ii. 56; macrocera, ii. 39; Muelleri, ii. 59; nervosa, ii. 44; nitida, ii. 53; patentiflora, ii. 64; pauciflora, ii. 52; phlebophylla, ii. 52; pilularis, ii. 64; piperita var.

pauciflora, ii. 52; porosa, ii. 66; radiata, ii. 53; Risdoni, ii. 53; rostrata, ii. 43; santalifolia, ii. 57; semicorticata, ii. 61; signata, ii. 51; socialis, ii. 56; splachnocarpa, ii. 35; submultiplinervis, ii. 52; Stuartiana, ii. 62; turbinata, ii. 59.
Eudesmia erythrocorys, ii. 33; eucalyptoides, ii. 35.
Eugenia trinervia, i. 76.
Eupomatia laurina, i. 46.

Fugosia, i. 67.
Fusanus acuminatus, i. 85; emarginatus, i. 85.

Goodenia graminifolia, i. 116; humilis, i. 116; nana, i. 116.
Goodia pubescens, i. 10.
Gunnia Australis, i. 243.
Gyrostemon, i. 202; pyramidalis, i. 202.

Hæckeria cassiniformis, i. 17; ozothamnoides, i. 17.
Halothamnus microphyllus, i. 29.
Hedysarum biarticulatum, ii. 121.
Hibiscus Richardsonii, ii. 115; tridactylites, ii. 115; trionoides, ii. 115.

Ipomæa cinerascens, i. 186.

Keraudrenia integrifolia, i. 28.

Lagrezia altissima, ii. 92.
Lophostemon arborescens, i. 82.

Melaleuca paludosa, i. 14.
Melicope Australasica, ii. 102.
Metrosideros glauca, i. 14.
Myrtus trinervia, i. 76.

Nymphæa cœrulea, ii. 142.

Oxleya xanthoxyla, i. 65.

Pæderota densifolia, ii. 137.
Paquerina graminea, i. 49.
Paryphantha Mitchelliana, i. 11.
Phebalium anceps, i. 103; asteriscophorum, i. 105; Billardierii, i. 104; bilobum, i. 102; corræifolium, i. 105; diosmeum, i. 107; grandiflorum, i. 105; ovatifolium, i. 103; ozothamnoides, i. 103; phylicoides, i. 107; podocarpoides, i. 103; rude, i. 102; salicifolium, i. 104; sediflorum, i. 102; squamuligerum, i. 104; squamulosum, i. 104.
Pilitis acerosa, i. 38; Milligani, i. 38.
Pittosporum flavum, ii. 77.
Platycarpidium validum, i. 232.
Platyptelea clematidea, i. 228.
Ponceletia sprengeliodes, i. 39.
Pultenæa diffusa, i. 8.

Rhytileucoma chilocarpoides, ii. 90.
Rœa nudiflora, i. 166.

Santalum acuminatum, i. 85; angustifolium, i. 86; cognatum, i. 86; lanceolatum, i. 85.
Sarotes pogonanthera, ii. 7.

Schidiomyrtus tenella, i. 30.
Sclerothamnus diffusus, i. 7.
Schuermannia homoranthoides, i. 12.
Sesuvium quadrifidum, ii. 148.
Spadostylis Cunninghami, i. 8 ; ternata, i. 8.
Steckhovia scapigera, i. 114.
Stenopetalum draboides, ii. 142 ; procumbens, ii. 142.
Sterculia acerifolia, i. 1.
Strzeleckia dissosperma, i. 65.
Symphiomyrtus Lehmanni, i. 39.

Tabernæmontana, i. 57.
Talinum nanum, i. 175.
Tribulopsis angustifolia, i. 47.
Tristania arborescens, i. 82.
Tryptomene saxicola, i. 11.

Urocarpus phebalioides, i. 105.

Villarsia reniformis, ii. 21.

Walcottia eriobotrya, ii. 140.

Zamia spiralis, i. 41.
Zieria arborescens, i. 100 ; hirsuta, i. 101 ; lævigata, i. 101 ; lanceolata, i. 100 ; macrophylla, i. 100 ; pilosa, i. 101 ; Smithii, i. 100.

Melbourne : Auctoritate Gubern. Coloniæ Victoriæ. Ex Officina Joannis Ferres.